

4185

SACROSANCTUM OECUMENICUM CONCILIUM
VATICANUM SECUNDUM


SCHEMA CONSTITUTIONIS
DE DIVINA REVELATIONE

262.8

27108

(Sub secreto)

H



Biblioteca Daniel Cosío Villegas
EL COLEGIO DE MEXICO, A. C.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXIV

SACROSANCTUM OECUMENICUM CONCILIUM
VATICANUM SECUNDUM

SCHEMA CONSTITUTIONIS
DE DIVINA REVELATIONE

(Sub secreto)



Biblioteca Daniel Costo Villegas
EL COLEGIO DE MEXICO, A. C.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXIV

*Ss. mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in audientia hac die
infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, de quo
in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo deliberabitur, ad eius-
dem Concilii Patres transmitteretur.*

Ex Aedibus Vaticanis, die III mensis Iulii, anno MCMLXIV.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

NOTANDA: Verba, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncas [] posita, in redactione definitiva tollentur. In schemate habentur duo textus: textus *prior* et textus *emendatus*. Alter iuxta emendationes a Patribus Conciliaribus postulas et a Commissione de doctrina fidei et morum examinatas atque propositas.

Adsunt, etiam, ad instar appendicis, notae, necnon relationes particulares et generales, ex quibus Patribus innotescunt rationes, cur novus textus ab antiquo recedat.

E/1 etc. significant *Emendationes* seu *Observationes* in Concilio sive habitas, sive scripto datas, vel etiam postea Secretario Generali missas.

Animadversiones connotant easdem *Emendationes* seu *Observationes* prout exstant in foliis dactylographatis.

Litterae (A), (B) etc. spectant ad litteras correspondentes in Relationibus de singulis numeris.

DE DIVINA REVELATIONE (A)

Textus prior

Textus emendatus

PROOEMIUM

1. [*Necessitas et obiectum Revelationis*]. Sacrosancta Synodus Vaticana secunda, doctrinam catholicam de sacra Revelatione sollemniter proponens, verba S. Ioannis in memoriam revocat, dicentis: « Annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et apparuit nobis: quae vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio eius Iesu Christo » (1 Io. 1, 2-3).

1. (olim n. 1, § 1). [*Prooemium*]. Sacrosancta Synodus verbis S. Ioannis obsequitur (B) dicentis: « Annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem et apparuit nobis: quod vidimus et audivimus annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius Iesu Christo » (1 Io. 1, 2-3). Propterea, Concilii Vaticani I inhaerens vestigiis, genuinam de divina Revelatione ac de eius transmissione doctrinam proponere intendit, ut mundus universus audiendo credat, credendo speret, sperando amet (1) (C).

CAPUT I (olim Prooemium)

DE IPSA REVELATIONE

Quamquam enim valent homines « quærere Deum si forte attraherent eum, aut inveniant » (Act. 17, 27), non possent tamen mysteria Dei cognoscere, maxime subsistentiam eius in tribus personis, et consortium divinae naturae (cf. 2 Pt. 1, 4), ad quod vocantur omnes homines, nisi Deus ipse eadem revelavisset. Qua revelatione veritas tam de Deo quam de homine in Christo nobis illucescit.

2. (n. fere novus et olim n. 1, §2). [*De revelationis natura et obiecto*] (A). Placuit Deo in sua bonitate et sapientia seipsum revelare et notum facere nobis sacramentum voluntatis suae (cf. Eph. 1, 9), quo homines per Christum, Verbum carnem factum, in Spiritu Sancto accessum habent ad Patrem et divinae naturae consortes efficiuntur (cf. Eph. 2, 18; 2 Pt. 1, 4) (B). Hac itaque revelatione Deus invisibilis (cf. Col. 1, 15; 1 Tim. 1, 17) ex abundantia caritatis suae homines tamquam amicos alloquitur (cf. Ex. 33, 11; Io. 15, 14-15) et cum

2. [Revelatio gradatim peracta]. Inde ab initio Deus amore permotus testimonium dedit generi humano de semetipso et de hominis superno fine; ac post peccatum Adae, misericorditer promittendo Redemptorem, mox mirabiliter restauravit ordinem salutis. Postea in Abraham populum sibi elegit, ut in semine eius benedicerentur omnes generationes terrae (cf. Gen. 12, 3), et e longinquo via Evangelio praepararetur.

3. [Revelatio in Christo ultima et completa]. In Christo et per Spiritum Christi, Apostolis promissum ut illos omnia doceret, quaecumque ipse Christus dixerat (cf. Io. 14, 26), publica revelatio ultima et integra facta est (cf. Hebr. 1, 1). Nulla ergo adhuc nova revelatio exspectanda est, sicut nulla aliunde salus. Quare Christianismus non est tantum aetas quaedam transitoria historiae religiosae humanitatis, sed omnino novissima et definitiva.

eis conversatur (cf. Bar. 3, 38), ut eos ad societatem cum Patre et Filio et Spiritu Sancto invitet et admittat (C). Haec revelationis oeconomia fit gestis verbisque intrinsece inter se connexis, ita ut opera, in historia salutis a Deo patrata, doctrinam et rem verbis significatam manifestent et corroborent, verba autem opera proclamant et mysterium in eis contentum elucident (D). Intima ergo per hanc revelationem tam de Deo quam de hominis salute veritas nobis in Christo illucescit, qui non solum mediator, sed et plenitudo totius revelationis existit (cf. Io. 1, 14 et 17; 14, 6; 17, 1-3; 2 Cor. 3, 16-4, 6; Eph. 1, 3-8) (E).

3. (olim n. 2). [De evangelicae revelationis praeparatione] (A). Deus qui in Verbo suo omnia creavit et in ipsa rerum natura perenne sui testimonium hominibus ostendit (cf. Rom. 1, 19-20; Act. 14, 15-17) (B), inde ab initio Protoparentibus sese manifestavit, quos post lapsum in spem salutis erexit, redemptione promissa (cf. Gen. 3, 15) (C). Suo autem tempore Abraham vocavit ut faceret eum in populum magnum (cf. Gen. 12, 2), quem post Patriarchas per Moysen et Prophetas erudiret ad solum Deum vivum et verum, providum hominum Patrem et iudicem iustum agnoscendum et ad promissum ab Eo Salvatorem expectandum, sicque per saecula viam Evangelio praepararet (D).

4. (novus numerus, cf. olim n. 3-4). [De Christo revelationis consummatore] (A). Postquam multifariam multisque modis Deus locutus est in prophetis, « novissime diebus istis locutus est nobis in Filio » (Hebr. 1, 1-2) (B). Misit enim Filium suum, aeternum scilicet Verbum, per quem omnia facta sunt et qui omnes homines illuminat, ut inter homines habitaret iisque intima Dei enarraret (cf. Io. 1, 1-18) (C). Iesus Christus ergo, « homo ad homines » missus (2) (D), « verba Dei loquitur » (Io. 3, 34)

Textus prior

4. [*Opera Christi signa Revelationis*]. Opera Christi, quae dedit ei Pater ut faceret ea, testimonium perhibent de eo (cf. Io. 5, 36), cum Christus divinitatem suam non verbis dumtaxat affirmaverit, sed etiam vita sanctissima, miraculis, prophetiis et maxime resurrectione gloriosa ex mortuis confirmaverit. Sicut per verba Christi Mysterium in vita eius contentum manifestatur, sic per vitam eius miraculosam auctoritas testimonii Christi comprobatur.

6. [*Necessitas gratiae ad Revelationem divinam accipiendam*]. Revelationi divinae praestanda est oboedientia fidei: sed ut fidei actus suscitetur, opus est gratia Dei, quae sensum aperiat, cor moveat et convertat. Quo vero profundior usque evadat Revelationis intelligentia, Spiritus Paraclitus fidem iugiter per dona sua perficit.

5. [*Veritates naturales cum Revelatione connexae*]. In divina Revelatione agitur quidem de veritatibus et eventibus quibus mysterium participationis hominis ad Dei vitam intimam respicitur; simul autem etiam affirmantur veritates altissimae ordinis naturalis cum veritatibus supernaturalibus connexae. Nam licet veritates illae humanae rationi per se imperviae non sint, in praesenti generis humani con-

Textus emendatus

et opus salutare consummat quod dedit ei Pater faciendum (cf. Io. 5, 36; 17, 4) (D). Quapropter verbis et operibus, signis et miraculis, praesertim autem morte sua et gloriosa ex mortuis resurrectione, missione quoque Spiritus veritatis, et tota sua persona revelationem complendo perficit ac testimonio divino confirmat, Deum nempe nobiscum esse ad homines ex peccati mortisque tenebris liberandos eosque in aeternam vitam resuscitandos (E).

Oeconomia ergo christiana numquam praeteribit (cf. Mt. 24, 35), et non est aetas historiae religiosae transitoria tantum, sed novissima et definitiva, nullaque adhuc novae revelationis publicae expectanda est ante finalem « revelationem Domini nostri Iesu Christi » (1 Cor. 1, 7) (F).

5. (olim n. 6). [*De fide revelationi praebenda*]. Deo revelanti praestanda est « oboeditio fidei » (Rom. 16, 26; cf. 1, 5; 2 Cor. 10, 5-6) (A), quae est « plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium » (3), seu voluntarius veritati ab eo revelatae assensus (B). Quae fides ut praebetur, opus est praeveniente et adiuvante gratia Dei et internis Spiritus Sancti auxiliis, qui cor moveat et in Deum convertat, mentis oculos aperiat, et det « omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati » (4). Quo vero profundior usque evadat revelationis intelligentia, idem Spiritus Sanctus fidem iugiter per dona sua perficit (C).

6. (olim n. 5). [*De veritatibus revelatis*]. Divina revelatione manifestantur ea, quae Deus de seipso ac de aeternis voluntatis suae decretis circa hominum salutem divinaeque vitae participationem communicare voluit, et « quae humanae mentis intelligentiam omnino superant » (5) (A). Confitetur quidem Sacra Synodus, « Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus

Textus prior

Textus emendatus

dicione, ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore non nisi lumine revelationis cognosci possunt. Sic Revelatione divina non tantum aperiuntur viae ad supernaturalem finem assequendum, sed etiam principia prae-

5 *creatis certo cognosci posse* » (Cf. Rom. 1, 20); *eius autem revelationi tribuendum esse docet, « ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint* » (6) (B).

NOTAE

Prooemium

Ad n. 1.

(1) Cf. S. AUGUSTINUS, *De catechizandis rudibus*, c. IV, 8: PL 40, 316.

Caput I - *De ipsa Revelatione*

Ad n. 4.

(2) *Epist. ad Diognetum*, c. VII, 4: FUNK, *Patres Apostolici*, I, p. 403.

Ad n. 5.

(3) CONC. VAT. I, *Const. dogm. de fide cath.*, cap. 3: DENZ. 1789 (3008).

(4) CONC. ARAUS. II, can. 7: DENZ. 180 (377); CONC. VAT. I, *l. c.*: DENZ. 1791 (3010).

Ad n. 6.

(5) CONC. VAT. I, *Const. dogm. de fide cath.*, cap. 2; DENZ. 1786 (3005).

(6) *Ibid.*: DENZ. 1785 et 1786 (3004 et 3005).

PRAENOTANDA AD NUM. 1-6

GENERALIA

Non paucae nec leues factae sunt ad « Prooemium » observationes, quarum praecipuas recensemus.

1) *Conceptus revelationis* magis evolvendus est: ita E/327; 350; 391, 2 (*Animadversiones* dact., p. 101); 391, 4 (*ibid.*, p. 104); 391, 5 (*ibid.*, p. 107); 414; 458; 2240.

2) Textus prior quodam conceptualismo dicitur laborare, quasi revelarentur potius veritates de Deo quam *Deus ipse*. Ita E/257; 259; 265; 296; 313; 325; 349; 391; 426; 450; 458; 490; 2230; 2396. Nonnulli addunt conceptionem magis personalisticam nostris praecise temporibus magni esse momenti pastoralis: E/316; 349. Alius tamen vult revelationem clarius definiri tamquam *locutionem Dei*, conceptibus, iudiciis, propositionibus constantem: E/605.

3) Plures e supra citatis volunt expressius significari Deum se revelare etiam *per opera* patrata: E/257; 259; 313; 325; 326; 414; 458; 2240; 2480. In specie volunt significare *Christum ipsum* esse revelationem: E/265; 296; 300; 313, 316; 326; 391, 2 (*Animadv.* dact., p. 101); 2166; 2230.

4) Nonnulli optant ut significetur revelatione hominem fieri *participem vitae divinae* et mysterii christiani: E/313; 349; 426; 490.

5) Aliqui desiderant ut expressius etiam *de naturali Dei cognitione* agatur: E/218; 252; 2200. E contra unus ponit iteranda non esse quae Vaticanum I iam decrevit: E/511.

CONCLUSIO

1) Satis profunda Prooemii retractatio praebere intendit revelationis *plenioram descriptionem*, quae etiam locum *Christi* in clariorem lucem ponat.

2) *Novae quaestiones* textui priori non videntur introducendae, et structura generalis huius textus retinetur. Sed doctrina de revelatione caput proprium nunc constituit, praemisso brevissimo Prooemio. Numeri 3 et 4 magis organice connectuntur et in unum n. 4 funduntur. Ordo inter n. 5 (de veritatibus revelatis) et n. 6 (de fide) invertitur. Allusio ad Dei cognitionem naturalem in assertum explicitum constituitur et ad novum n. 6 transfertur.

3) Textus prior non mutatur nisi Patribus postulantibus, et adhibitis quantum fieri potest verbis ab eis propositis.

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS

RELATIO DE N. 1

(A) *Titulus* prior retinetur. E/313 proposuit: « De Deo se revelante »; quod exigeret tractatum multo ampliorem. E/2206 proposuit: « De divina revelatione eiusque transmissione ». Cui providetur in Capite II.

(B) Loco *in memoriam revocat*, scribitur *obsequitur*: cf. E/301.

(C) *Scopus* praesentis decreti adumbratur, scilicet praebere doctrinam de revelatione eiusque transmissione, E/2206, et in mentem revocare Vaticanum I, ampliando dicta de transmissione, E/2240. Omittitur vero *solemniter*, sicut factum est etiam in Schemate *De Ecclesia*. Cita-
tio denique *S. Augustini* finem pastorem pulchre innuit.

RELATIO DE N. 2, OLIM N. 1, § 2

(A) In titulo paragraphi indicatur *natura* revelationis, quae descriptio in textu priori manebat fere subintellecta. Omittitur vero *necessitas*, quae expressio ambiguitati ansam praebere potest. De necessitate revelationis et fidei salutaris aptius agitur in *De Ecclesia*.

(B) Sententia positive construitur: *placuit Deo* (cf. Vat. I). Textus enim prior laborare dicebatur quodam anthropocentrismo, E/313, et ex quadam secundaria proprietate procedere, scilicet quid non possint homines. Deinde describitur, secundum Vat. I, *obiectum revelationis*, nempe Deus ipse, E/458; 2200, eiusque decretum salutare, ita enuntiatum ut includat mentionem minus abstractam *SS. Trinitatis*: E/391, 4 (*Animadv. dact.*, p. 104); 391, 5 (*ibid.*, p. 107); 326; 414; 426; 458; 469; 2166; 2396; 2480, et disertam mentionem faciat de *Incar-
natione*: E/245; 296; 326; 327; 414; 469; 2166; 2396; 2480. *Gratia* nostra vero non solum describitur ut consortium divinae naturae, sed etiam tanquam communio cum divinis Personis.

(C) Delineatur natura revelationis per verba: *invisibilis Deus*, E/2396; *ex abundantia caritatis*, ut exprimat indoles gratuita et supernaturalis; *tamquam amicos*, cum allusione ad prima et ultima revelationis verba et adhibitis categoriis patristicis, quod scilicet creaturae constituuntur intimi Dei; *alloquitur*, quia revelatio est locutio, E/605; *conversatur*, sensu pleno quem exhibet textus Bar. in liturgia adhibitus; *societatem* cum divinis Personis, cum allusione ad 1 Io. 1, 2-3, in Proemio citatum: E/313; 349; 426; 490.

(D) Ex n. 4 huc transfertur doctrina de revelatione *operibus ac verbis* facta, ut plurimi postulaverunt (cf. supra Generalia, 3, et in spe-

cie: E/325; 414; 458). Dicitur *revelationis oeconomia*, ut significetur agi de revelatione primitus facta, non vero de ea ut nunc annuntianda. *Gestis verbisque intrinsece inter se connexis*, ut exprimatur ea non posse disiungi, sed mutuam habere prioritatem et compenetrationem.

(E) Christus *mediator et plenitudo* secundum desiderium generale; cf. E/391, 2 (*Animadv. dact.*, p. 101). Idea postea sub n. 4 magis sub perspectiva historica elaboratur.

RELATIO DE N. 3, OLIM N. 2

(A) Titulus prior minus placebat, quia *gradus* revelationis in textu brevissimo vix exprimuntur; sed antiqua revelatio nominatur, in quantum evangelicam revelationem praeparat.

(B) Affirmatur adesse testimonium Dei *in ipsa creatione*, quin dirimatur quaestio utrum Deus iam in hoc testimonio percipiendo per gratiam suam de facto interveniat. Locutio textus prioris *de fine superno* pluribus ob diversas rationes non placuit: E/223; 326; 327; 414; 2255; 2396. De revelatione prae-abrahamitica affirmatur factum, atque breviter determinantur eius indoles et obiectum.

(C) *Redemptione promissa*, secundum E/327; 458, etc. Expressio textus prioris *restauravit ordinem salutis*, pluribus displicuit; E/223; 326; 414; 458; 443; 2389. Electa est formula a E/469 proposita: *in spem salutis erexit*, quae sensu generaliori intelligitur.

(D) Textus prior affirmabat quidem « electionem », eius tamen connexionem cum revelatione non indicabat; propterea nunc scriptum est: *vocavit... erudiret*, mentione facta de praecipuis capitibus veteris revelationis, et nominatis patriarchis (secundum E/447) et prophetis (secundum E/223, 313; 2166; 2200; 2230).

RELATIO DE N. 4, OLIM NN. 3-4

(A) *Titulus* aptatus est ad novum contentum, ut *Christus* appareat ut *consummator* et apex totius revelationis (cf. Generalia, 3). In hoc numero, magna ex parte novo, incorporantur quae antea dicebantur sub n. 4 de verbis et signis, et sub n. 3 de nova revelatione non exspectanda.

(B) Citatio *Heb. 1, 1-2*, postulata a E/391, 2 (*Animadv. dact.*, p. 101), 446 et 2396, apte significat revelationem in Christo apicem attigisse.

(C) Citatio *Io. 1,1-18*, postulata a E/296, innuit rationes cur Christus revelationem consummet: est enim Verbum creativum, lux omnium, caro factum et inter homines conversatum, apparens tamquam Filius et enarrans quae sunt in sinu Patris seu profunda Dei. Cf. etiam E/327.

(D) Indicatio *homo ad homines* enuntiat Verbum factum esse ve-

rum hominem, et cum citatione *Io. 3, 14* praeparat doctrinam de verbo Dei tradito et scripto, E/458.

(E) Plures in priori n. 4 reprehendebant nimiam praeoccupationem apologeticam, et volebant affirmare signa et personam Christi non esse solummodo argumenta credibilitatis, sed vere revelatoria: ita E/252; 300; 391, 2 (*Animadv. dact.*, p. 101); 458; 2166; 2230; 2255; 2396; 2480. Quapropter nova redactio dicit quod Iesus *revelationem complendo perficit*, quatenus Ipse est supremus actus revelatorius et supremum obiectum revelatum. Additur tamen: *divino testimonio confirmat*, ut appareat etiam valor apologeticus, qui obtinetur per *verba et opera* Christi, per *mortem et resurrectionem Eius* ac missionem Spiritus Sancti, quae sunt signa eminentissima, et denique per *personam Eius*, non intellectam in sensu metaphysico, sed, ut iam fit in Schemate *De Ecclesia*, sub n. 5, ut supremam manifestationem et argumentum in integro complexu verborum, gestorum, passionis et resurrectionis.

Non autem fit mentio de signo quod est *Ecclesia*, ut proposuerunt E/313; 270, 2 (*Animadv. dact.*, p. 40); 353, 2 (*Animadv. dact.*, p. 96): Ecclesia enim est signum pro postea venientibus, dum hic agitur de revelatione in Christo consummata. Huius autem revelationis contentum summis lineis adumbratur, verbis fere desumptis ex E/458.

(F) Sententia, paucis mutata ex priori n. 3, loquitur de *oeconomia* christiana, E/296; 326, loco *Christianismus*, quod pluribus displicebat: E/290; 391, 3 (*Animadv. dact.*, p. 103); 414; 2480. Inseritur vox *publica*, secundum E/223; 391, 5 (*Animadv. dact.*, p. 107); 414; 2406; 2166; 2255. Praenuntiatur denique *finalis revelatio* eschatologica, ut voluerunt E/300; 350; 353, 2 (*Animadv. dact.*, p. 96); 391, 2 (*Animadv. dact.*, p. 101); 2406; 2255; 2396; 2480. Non dicitur tamen revelatio esse « clausa » morte Apostolorum, sicut voluerunt E/223 et 313; quia haec ulterior explicitatio disputationi subiacet, dum in textu iam asseritur ultima ratio facti, nempe quod revelatio in Christo consummatur.

RELATIO DE N. 5, OLIM N. 6

(A) Titulus mutatus est ut contento novo correspondeat: ampliori enim revelationis descriptioni respondere debet quaedam *fidei* descriptio: E/313; 316; 326; 343; 2396. Numerus hoc novo modo redactus apte ponitur immediate post sermonem de revelatione a Christo facta. Dicitur *Deo revelanti*, ut clarius appareat fidem esse virtutem theologalem: E/414; 2166; 2255; 2396.

(B) Fides duplici formula describitur, nempe ut *plenum... obsequium*, secundum CONC. VAT. I: DENZ. 1789 (3008), quo significatur sola fide virtuosa digne Deo revelanti responderi: E/326; — deinde ut *voluntarius... assensus*, quae formula velut magis technica inspiratur ex CONC. TRID.: DENZ. 797 (1525) et CONC. VAT. I: DENZ. 1814 (3035).

Ita suggesterunt E/343; 605; cf. E/2396. De *signis externis* autem, de quibus in problemate hic considerato non erat agendum, inspiciantur CONC. VAT. I: DENZ. 1790 (3009) et Iusiurandum contra Modernismum: DENZ. 2145 (3539-42).

(C) Citatur *gratia praeveniens*, secundum E/414; 2396; cf. E/327; sed additur etiam *adiuvans*, secundum CONC. TRID.: DENZ. 797-8 (1525-6) et CONC. VAT. I: DENZ. 1789 (3008). Invocantur *interna Spiritus Sancti auxilia*, suggerente E/2230, secundum CONC. ARAUS. II, can. 7 et CONC. VAT. I: 1791 (3010). Dicitur *in Deum convertat*, ut exprimat terminus positivus conversionis *Idem Spiritus iugiter perficit*: ita innuitur continuitas inter primum assensum et progressum, non solum pro singulis fidelibus, de quibus E/223, sed etiam pro communitate.

RELATIO DE N. 6, OLIM N. 5

(A) Doctrina *de veritatibus revelatis*, sive de mysteriis, sive de illis quae in rebus divinis per se rationi impervia non sunt, convenienter ponitur post n. 5 de Fide. Plures observationes de his quaestionibus propositae sunt: E/223; 226; 301; 349; 2230. Quapropter nova redactio pressius et modo positivo conatur sequi CONC. VAT. I, ut proponunt E/2166 et 2230. Unde describitur proprium revelationis obiectum, secundum CONC. VAT. I, ut *Deus ipse et consilium Eius salutare*. Verba *quae... superant*, ex eodem fonte desumpta, inseruntur ut appareat disiunctio a sequentibus.

(B) Hic duo affirmantur, nempe: *Deum naturali ratione cognosci posse*; quod expressius quam in textu priori enuntiatur, ut voluerunt E/218; 252; 2200. Deinde revelationi tribuendum esse ut homo lapsus de facto *cognitionem universalem, firmam et rectam* de rebus religiosis habeat. Neque intratur in systematicam explicationem de necessitate morali revelationis, de qua loqui vellet E/266.

Omissa est ex textu priori, lin. 17-20, sententia de principiis *ad vitam temporalem ducendam*; quae materia potius pertinet ad aliud Schema, nempe XIII (olim XVII).

CAPUT II (olim I)

DE DIVINAE REVELATIONIS TRANSMISSIONE

Textus prior

7. [*Apostoli praedicatores Evangelii*]. Christus Dominus mandatum dedit Apostolis, ut Evangelium suum, id est ea quae per totam suam vitam fecerat et docuerat, tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae praedicarent. Quod quidem Apostoli fecerunt cum per scripta Spiritu Sancto inspirata, cum ore tenus tradendo ea, quae ex ipso Christi ore vel a Spiritu Sancto dictante acceperant. Hoc autem verbum Dei, scriptum vel traditum, unum Depositum Fidei constituit, ex quo Ecclesiae Magisterium haurit ea omnia, quae fide divina tamquam divinitus revelata credenda proponit.

Textus emendatus

7. [*Apostoli eorumque successores, praedicones (A) Evangelii*]. Quae Deus ad salutem cunctarum gentium revelaverat, eadem benignissime disposuit ut in aevum integra permanerent omnibusque generationibus transmittentur (B). Ideo Christus Dominus, in quo summi Dei tota revelatio consummatur (cf. 2 Cor. 1, 20; 3, 16-4, 6) (C), mandatum dedit Apostolis ut Evangelium, quod promissum ante per prophetas Ipse adimplevit et proprio ore promulgavit (D), tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omnibus praedicarent (1), eis dona divina communicantes (E). Quod quidem fideliter factum est, tum ab Apostolis, qui in praedicatione orali, exemplis et institutionibus ea tradiderunt quae sive ex ore, conversatione et operibus Christi acceperant, sive a Spiritu Sancto suggerente didicerant, tum ab ipsis virisque apostolicis, qui peculiari charismate ditati, sub inspiratione eiusdem Spiritus Sancti, nuntium salutis scriptis mandaverunt (2) (F).

Ut autem Evangelium integrum et vivum iugiter in Ecclesia servaretur, Apostoli successores relinquerunt Episcopos, ipsis « suum ipsorum locum magisterii tradentes » (3) (G). Sacra igitur Traditio et Sacra Scriptura veluti speculum sunt in quo Ecclesia in terris peregrinans contemplatur Deum, a quo omnia accipit, usquedum ad Eum videndum facie ad faciem sicuti est perducatur (cf. 1 Cor. 13, 12) (H).

8. (numerus novus). [*De Sacra Traditione*] (A). Itaque praedicatio apostolica, quae in inspiratis libris speciali modo exprimitur (B), continua successione usque ad consummationem temporum conservari debebat (C). Unde Apostoli, dum fideles instruunt, tradendo eis quod et
5 ipsi acceperunt (cf. 1 Cor. 11, 23), eosdem simul traditae sanctis fidei supercertari deprecantur (cf. Iud. 3), traditionesque quas, sive per sermonem sive per epistolam didicerunt, tenere iubent (cf. 2 Thess. 2, 15) (4) (D). Quod vero ab Apostolis traditum est, ea omnia complectitur quae ad Populi Dei vitam sancte ducendam fidemque augendam
10 conferunt (E), sicque Ecclesia, in sua doctrina, vita et cultu (F), omne illud perpetuat cunctisque generationibus transmittit quod ipsa est, omne quod habet, omne quod credit (G).

Viva haec Traditio in Ecclesia sub assistentia Spiritus Sancti proficit (5). Crescit enim tam rerum quam verborum traditorum intelligentia, tum ex contemplatione credentium, qui ea conferunt in corde suo
15 (cf. Lc. 2, 19 et 51), tum ex intima spiritualium rerum experientia (H). Ecclesia scilicet, volventibus saeculis, mulierem illam evangelicam imitatur, quae abscondit fermentum in farinae satis tribus, donec fermentatum est totum (cf. Mt. 13, 33; Lc. 13, 21) (I). Sanctorum Patrum dicta huius Traditionis vivificam testificantur praesentiam (K), cuius
20 divitiae in praxim vitamque credentis et orantis Ecclesiae transfunduntur (L). Per eandem Traditionem et ipsae Sacrae Litterae absoluta certitudine Ecclesiae innotescunt in eaque indesinenter actuosae redduntur (M); sicque Deus, qui olim locutus est, sine intermissione cum
25 dilecti Filii sui Sponsa colloquitur (N), et Spiritus Sanctus, qui vivam vocem Evangelii in Ecclesia, et per ipsam in mundo resonare facit, credentes in omnem veritatem inducit (cf. Io. 16, 13), verbumque Christi in eis abundanter inhabitare facit (cf. Col. 3, 16) (O).

Textus prior

8. [*S. Scripturae et S. Traditionis mutua relatio*]. S. Scriptura ergo et S. Traditio ita mutuo se habent, ut altera alteri extranea non sit. Imò arcte inter se connectuntur atque communicant. Nam ambae ex eadem scaturigine promanantes, in unum quodammodo coalescunt et in eundem finem tendunt. Quapropter utraque pari pietatis affectu ac reverentia suscipienda ac veneranda est.

Textus emendatus

9. (olim n. 8). [*S. Traditionis et S. Scripturae mutua relatio*]. S. Traditio et S. Scriptura arcte inter se connectuntur atque communicant (A). Nam ambae, ex eadem divina (B) scaturigine promanantes, in unum quodammodo coalescunt et in eundem finem tendunt. *Et enim S. Scriptura est locutio Dei quatenus divino afflante Spiritu scripto consignata, S. Traditio autem mens, doctrina, exempla et mandata Christi per Apostolorum eorumque successorum praeconium, assistente Spiritu Sancto,*
35
40 fideliter transmissa (C). Quapropter utraque

Textus prior

9. [*Utriusque relatio ad S. Magisterium*].
At S. Scriptura ac S. Traditio, uti sacrum verbi
Dei depositum, non singulis hominibus, sed vivo
et infallibili Ecclesiae Magisterio concreditum
est; quod quidem Magisterium non supra ver-
bum Dei est, sed eidem ministrat, quatenus il-
lud, ex divino mandato et Spiritu Sancto assi-
stente, tuetur et authentice interpretatur, illu-
strando et etiam enucleando quae in una vel al-
tera Depositi parte implicite et obscure conti-
nentur. Exinde regula fidei proxima quidem est
Ecclesiae Magisterium, remota vero Sacrum De-
positum.

10. [*Conclusio*]. Patet igitur S. Scriptu-
ram, S. Traditionem ac Ecclesiae Magisterium,
iuxta sapientissimum Dei consilium, ita inter
se internecti et consociari, ut unum sine aliis
consistere non possit. Tria simul ad animarum
salutem suo modo efficaciter conferunt; sensu
quoque fidelium subordinate concurrente.

Textus emendatus

pari pietatis affectu ac reverentia suscipienda
et veneranda est (6) (D).

10. (olim nn. 9-10) (A). [*Utriusque rela-
tio ad totam Ecclesiam et Magisterium*] (B).
5 *S. Traditio et S. Scriptura unum verbi Dei sa-
crum depositum constituunt, Ecclesiae com-
missum, cui inhaerens tota plebs sancta sacerdo-
tibus suis adunata in doctrina Apostolorum
et communionem, in fractione panis et oratio-
nibus iugiter perseverat* (cf. Act. 2, 42 gr.),
10 *ita ut in tradita fide tenenda, exercenda profi-
tendaque singularis fiat antistitum et fidelium
conspiratio* (7) (C).

*Munus autem verbum Dei scriptum vel tra-
15 ditum authentice interpretandi soli* (D) vivo
et infallibili Ecclesiae Magisterio concreditum
est (8), *per quod suprema auctoritas in uno
nomine Iesu Christi et in una Eius Ecclesia est
constituta* (E). Quod quidem Magisterium non
20 *supra verbum Dei est, sed eidem ministrat,
docens nonnisi quod traditum est* (F), quate-
nus illud, ex divino mandato et Spiritu Sancto
assistente, *sancte custodit et fideliter exponit*
(G), *ac ea omnia ex hoc uno fidei deposito hau-
25 rit quae tamquam divinitus revelata credenda
proponit* (H). Patet igitur S. Traditionem,
S. Scripturam et Ecclesiae Magisterium, iuxta
sapientissimum Dei consilium, ita inter se con-
necti et consociari, ut unum sine aliis non *con-
30 sistat* (I), *omniaque simul, singula suo modo
ad animarum salutem efficaciter conferant* (J).

NOTAE

Caput II (olim I) - *De divinae Revelationis transmissione*

Ad n. 7.

- (1) Cf. CONC. TRID., Sess. IV, decr. *De canonicis Scripturis*: DENZ. 783 (1501).
- (2) Cf. CONC. TRID., *l. c.*; CONC. VAT. I, Sess. III, *Const. dogm. de fide catholica*, cap. 2: DENZ. 1787 (3006).
- (3) S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 3, 1: PG 7, 848; HARVEY, 2, p. 9.

Ad n. 8.

- (4) Cf. CONC. CONSTANT. IV, Sess. X, can. 1: DENZ. 336.
- (5) Cf. CONC. VAT. I, *Const. dogm. de fide catholica*, c. 4: DENZ. 1800 (3020).

Ad n. 9.

- (6) Cf. CONC. TRID., *l. c.* ad n. 7.

Ad n. 10.

- (7) Cf. PIUS XII, Const. Apost. *Munificentissimus Deus*, 1 nov. 1950: AAS 42 (1950) 756.
- (8) Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani Generis*, 12 aug. 1950: AAS 42 (1950) 569; DENZ. 2314 (3886).

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS

ANIMADVERSIO PRAEVIA

Caput I Schematis, quod nunc factum est Caput II, obiectum praecipuum fuerat Animadversionum Patrum. Quae quidem animadversiones in unum conveniebant desiderium, nempe, ut longior et profundior fieret de Traditione expositio, qua magis ipsius extolleretur momentum.

Hoc autem Traditionis momentum diversa ratione a Patribus intenditur. Maior enim eorum pars postulat: ut Traditioni prior locus assignetur relate ad S. Scripturam, cum hanc re et tempore praecedat; ut eidem peculiare caput vel saltem distincta paragraphus reservetur; ut ipsa denique non veluti mere verbalis, at etiam ut realis et viva describatur, in vita Ecclesiae inscripta et operans. Alii vero insuper velent explicitam affirmationem: Traditionem fontem divinae revelationis a S. Scriptura adaequate distinctum exstare, eo nempe sensu quod quaedam veritates divinitus revelatae per ipsam transmittantur, quae nullo modo in S. Scriptura contineantur.

Hisce prae oculis habitis, censuit Subcommissio iis tantum postulatis attendere, quorum obiectum *in pacifica possessione* videbantur; ab illis e contra abstinere quae *vexatam quaestionem* de contento obiectivo Traditionis comparative ad Scripturam denuo excitarent. Propterea omnia et singula novi textus verba sedulo ponderata sunt, hoc praesertim intuitu: ne ulla duarum sententiarum alteram superaret, nec ulla tamquam suffocata exinde haberetur.

Ita agendo, Subcommissio persuasum habet se aliquale Patribus praestitisse servitium. Textus concorditer apparatus a Commissione doctrinali plenaria approbatus fuit, non tamen consensu unanimi ad *vexatam* quod spectat *quaestionem*.

DE TITULO

Cap. I « De verbo Dei revelato » Schematis prioris factum est Cap. II et inscriptum « *De divinae revelationis transmissione* », secundum E/350 et E/2206.

Quae quidem transmissio in genere hic describitur, peculiari tamen ratione habita de viva Traditione, quippe quae immediate cum ipsa revelatione transmittenda coniungatur, ac etiam post sacrorum librorum scriptionem perseveret. Sic autem obtinetur congrua introductio ad capita sequentia de S. Scriptura.

RELATIO DE N. 7

(A) Addita sunt verba *eorumque successores* ad indicandam continuitatem sive actus tradendi sive rei transmissae. Munus autem, sive Apostolorum sive Episcoporum, melius quam per vocem *praedicatores* exprimi videtur per vocem *praecones*, utpote magis usitatam in antiqua litteratura christiana (cf. B. REYNDERS, *Lexique comparé... de saint Irénée*, II, Louvain 1954, 247).

(B) *Obiectum totius capitis* praenuntiatur, per affirmationem quod voluntas Dei est, ut revelatio ab Ipso facta integra permaneat atque transmittatur. Quam divinam voluntatem Christus significavit, cum mandatum de hoc Apostolis dedit (cf. E/2206).

(C) Per verba « *tota revelatio* » indicatur munus a Domino Apostolis concreditum ad omnia revelata extendi, *sive Novi sive Veteris Testamenti* (cf. E/223; E/446).

(D) Haec verba, quae illis Conc. Trid. adamussim consonant, iterum ostendunt *integram revelationem* commissam esse Apostolis transmittendam (cf. E/223; E/2200; E/2230).

(E) Apostoli, ea tradendo quae divinitus acceperant vel didicerant, non tantum doctrinam, sed etiam *omnia bona spiritualia* communicant (cf. E/391, 2, in *Animad. dact.*, p. 101; E/414).

(F) Mandatum Christi praedicandi Evangelium duplici modo ab Apostolis adimpletum est:

a) *per praedicationem oralem*, ita tamen intellectam, ut non verba tantum, sed etiam exempla et institutiones comprehendat, scilicet illa omnia quae ex ore Christi vel ex conversatione et operibus Ipsius cognoverant. Pariter ea quae ab actione Spiritus Sancti proveniunt, indicationes mere verbales praetergrediuntur (cf. E/325; E/391, 5 in *Animadv. dact.*, p. 107; E/2207; E/426; E/490; E/2230; E/2396). Propterea, loco *dictante*, ponitur *suggerente* (cf. E/265; E/296; E/414; E/2166; E/2207; E/2230).

b) *Per scripturam librorum sacrorum*; quae tamen scriptio, ut ratio de realitate historica habeatur, non solis Apostolis, sed etiam viris apostolicis tribuitur (cf. E/223; E/350; E/391; E/414; E/2166; E/2200; E/2480).

c) In istis duobus modis transmissionis divinae revelationis recensendis *invertitur ordo* Conc. Trid. Itaque primo loco agitur de praedicatione, et secundo loco de scriptura librorum sacrorum; Traditio enim non scripta S. Scripturam praecessit (cf. E/214; E/218; E/223; E/229; E/327; E/350; E/391; E/414; E/447; E/2046; E/2200; E/2230; E/2389: 2).

(G) Hac periodo introducitur altera pars huius numeri, iam in ipsius titulo praenuntiata, de munere successorum Apostolorum, videlicet Episcoporum, quia omnia *transmittunt* quae et ipsi ab Apostolis ac-

ceperunt, sive per praedicationem sive per ipsam S. Scripturam, sua vice utramque in perpetuum tradentes.

(H) Momentum extollitur Traditionis et Scripturae *in Ecclesia*. Per eas enim Ecclesia contemplari Deum valet iuxta mensuram praesentis vitae statui consentaneam, quae introductio et veluti initium est perfectae visionis eschatologicae. Illa contemplatio non exhauritur in mera cognitione intellectuali fere platonica, sed totam afficit vitam; ideo adiungitur quod Ecclesia a Deo *omnia accipit*; in quibus subintelliguntur omnia officia erga ipsum exinde derivantia (cf. E/2206).

Verba textus prioris lineis 10-14 omittuntur, quia materia ad sequentes pertinet numeros, nominatim ad n. 10, ubi de relatione Traditionis et Scripturae ad totam Ecclesiam et ad Magisterium.

RELATIO DE N. 8: NUM. NOVUS

(A) Hic numerus, *ex integro novus*, ad id exaratus est, ut Patribus fieret satis, qui ampliorem de Traditione expositionem postulant, sicut supra in Animadversione praevia indicatum est.

(B) Ad praecavendam quaestionem de sufficientia materiali S. Scripturae, et insimul ad affirmandam praecellentiam ipsius, utpote non tantum verbum Dei contineat sed sit verbum Dei, dicitur simpliciter quod praedicatio apostolica in libris inspiratis *speciali modo* exprimitur. Qui specialis modus ex titulo *inspirationis* provenit. Affirmatur ergo expressio qualitativa, quaestione seposita de expressione quantitativa.

(C) Formula introducitur, ipsis fere verbis Conc. Trid. exstructa: cf. DENZ. 783 (1501), ad aliquam praebendam *syntheticam Traditionis descriptionem*, quae ulterius deinde amplificatur (cf. E/458).

(D) Ad indicandum per continuam successionem *aliud non fieri nisi quod ab Apostolis factum est*, generali modo ipsius praedicationis apostolicae indoles describitur, quae sive per scripta ab eisdem exarata sive per praecepta cuiusque generis alio modo data manifestatur.

Ne autem ex textibus allatis, nominatim ex *2 Thess. 2, 15*, aliqua fiat apodictica inductio in favorem illius sententiae quae tenet quasdam veritates divinitus revelatas in una Traditione contineri, ponitur in nota allegatio relativa ad textum illum a Concilio Constant. IV facta (cf. E/2206).

(E) Veluti explicando verba Trid. in n. 7 relata, quae Evangelium fontem appellant omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae, dicitur praedicatio apostolica, quae illud Evangelium ut obiectum habet, *ad omnia extendi quae mores et fidem quocumque modo spectent*.

(F) Denuo statuitur relationem Traditionis ad fidem et mores fieri non tantum verbis, sed etiam *institutionibus, cultu, ritibus, etc.* Unde Traditio non solum verbalis, sed etiam realis ostenditur.

(G) Tamquam consecrarium eorum quae antea dicta sunt, affirmatur per Traditionem perpetuari non tantum doctrinam, sed *integram Ecclesiae vitam*.

(H) Postquam Traditionis affirmatus est ambitus, eiusdem affirmatur nunc *aspectus dynamicus*, ratione cuius totus ille ambitus ut aliquid vivum ostenditur. Exinde fit ut Ecclesia indesinenter divina impulsione sub assistentia Spiritus Sancti proficiat et crescat, semper tamen originalia identitate retenta: cf. CONC. VAT. I: DENZ. 1800 (3020). Qui quidem profectus evenit iuxta mensuram qua depositi traditi significatio et profunditas attingitur: cf. CONC. VAT. I: DENZ. 1796 (3016).

(I) Ob illam Traditionis vim dynamicam, Ecclesia tota animatur et quodammodo Traditionem portat ab eaque simul portatur. Quare iure *mulieri evangelicae assimilatur*, quae fermentum abscondit in massa farinae, expectans donec tota fermentetur. Expectatio autem Ecclesiae non est passiva; nam et ipsa est massa farinae, quae ideo fermenti experitur actionem (cf. E/296; E/2206, n. 26).

(K) Praesentia illius viventis et operantis Traditionis *in scriptis SS. Patrum* manifestatur, qui ideo tamquam Traditionis testes considerandi sunt. Haec autem eorum qualificatio fundatur non tantum in ipsorum maiore propinquitate ad aetatem apostolicam, quantum potius in systematisatione ab eisdem facta acceptae revelationis, ratione cuius fidei doctrina eodem sensu eademque sententia ad nos usque transmissa est (cf. PIUS X, Iusiurandum contra errores modernismi: DENZ. 2145 [3541]).

Eadem de causa nemini licet contra unanimem sensum Patrum ipsam Scripturam interpretari: cf. CONC. VAT. I: DENZ. 1788 (3007), nam quotiescumque testimonium aliquod biblicum uno eodemque modo explicant omnes Patres, eorum auctoritas summa est: cf. LEO XIII, Encycl. *Providentissimus Deus*: DENZ. 1944 (3284).

(L) Allusio fit ad Ecclesiae instituta in genere, et in specie *ad liturgiam*; haec etenim, quatenus gestis et verbis exprimitur, testimonium constituit privilegiatum vivae Traditionis, ita ut « on trouverait difficilement une vérité de foi chrétienne, qui ne soit exprimée en quelque manière dans la liturgie » (PIUS XII, Alloc. *Vous Nous avez demandé*, 22 sept. 1956: AAS 48, 1956, p. 713): cf. E/391, 2 (*Animadv. dact.*, p. 101); E/414; E/458; E/2206, n. 25.

(M) Momentum extollitur quod in vita Ecclesiae habet Traditio respectu ad S. Scripturam. Quod momentum duplici affirmatione significatur:

a) per vivam Traditionem Ecclesia *sacros libros absoluta certitudine* valet cognoscere; quod quidem ab omnibus admittitur, etiam ab illis qui sufficientiam materiale in genere propugnant;

b) per vivam Traditionem Ecclesia *exactissimum sensum Scripturae* cognoscere valet, unde nulla Scripturae interpretatio recta existi-

manda est quae cum sensu Ecclesiae non concordet. Exinde fit ut S. Scriptura non sit documentum tantum alicuius temporis, sed *omnibus aetatibus* coevum (cf. E/296; E/2207; E/2206, n. 26). Exinde ipsi sacri libri *indesinenter in Ecclesia actiosi redduntur*.

(N) Per Scripturam, sub luce Traditionis interpretatam, *colloquium* instituitur *permanens* inter Deum et Ecclesiam, cum consequente responsione ex parte Ecclesiae ad omnia quae Deus ita eidem communicat (cf. E/313; E/2206, n. 26).

(O) Momentum effertur Spiritus Sancti pro viva Traditione. Per ipsum *totius Evangelii viva vox resonat in Ecclesia*, quae ideo in omnem promissam veritatem inducitur ac plenitudinem verbi Christi assequitur (cf. E/296; E/391, 5 [*Animadv. dact.*, p. 107]; E/2206, n. 26).

Ita tamen procedit sententia, ut sedulo quaestio vitetur utrum illa plenitudo veritatis, quam per vivam Traditionem assequimur, contentum obiectivum S. Scripturae excedat.

RELATIO DE N. 9, OLIM N. 8

(A) Mutua relatio inter Traditionem et Scripturam modo magis generico stabilitur. Unde omittuntur verba textus prioris « ut altera alteri extranea non sit » (linea 31), quia videntur saporem habere polemicum, vel etiam intelligi possent in favorem illius sententiae quae tenet nihil haberi in Traditione quod in Scriptura non sit quomodocumque contentum (cf. E/326; E/337; E/2046; E/2206, n. 27).

(B) Scaturigo, a qua Traditio et Scriptura dicuntur promanare, qualificatur tamquam *divina*, hoc potissimum intuitu, ne Traditio intelligi possit originis esse mere ecclesiasticae.

(C) Hac periodo, ex integro nova, *ratio datur praecedentis affirmationis* de arcto vinculo, sive quoad originem sive quoad finem, quo Traditio et Scriptura inter se connectuntur. Per utramque enim eadem divina revelatio transmittitur, iterum praescindendo a quaestione utrum omnia et singula quae per eas diverso modo transmittuntur eadem etiam sint in realitate obiectiva (cf. E/2396).

(D) Loco vocis *ac*, ponitur *et*, ut habetur in textu Trid., ne bis repetatur « ac ».

RELATIO DE N. 10, OLIM NN. 9-10

(A) *Unificantur nn. 9-10* textus prioris, quia de eadem re utrobique agitur. Ob eandem rationem transfertur huc ultima periodus n. 7, lin. 10-14. Cf. not. (H) ad n. 7.

(B) Adduntur verba *totam Ecclesiam et*, quia sermo fiet de relatione Traditionis et Scripturae non tantum ad Magisterium, uti habebatur in textu priori, sed suo modo etiam ad totam Ecclesiam.

(C) Hac periodo, ex integro nova, statuitur relatio unius depositi revelati, quod Traditione et Scriptura constituitur (uti dicebatur in textu priori, n. 7, lin. 10-14) ad totam Ecclesiam, quae *simplices fideles simul ac hierarchiam* complectitur. Hoc autem fidei depositum intelligendum est Ecclesiae esse commissum, non ut authentice illud interpretetur (quod ad solum magisterium spectat), sed ut ipsa de eodem vivat, ac ita vivendo Ecclesia cuiusque aetatis Ecclesiam apostolicam fideliter imitetur (cf. E/350; E/353, 2 [*Animadv. dact.*, p. 96]; E/391, 4 [*Ibid.*, p. 104 s.]; E/391, 5 [*Ibid.*, p. 107 ss.]; E/414; E/458; E/511; E/2200; E/2230; E/2480; E/2481).

(D) Fit nova alinea, et verba ita disponuntur ut *munus* statim appareat *magisterii exclusivum*, authentice nempe interpretandi depositum revelatum, quod verbis designatur « verbum Dei scriptum vel traditum », quae resumuntur ex textu priori n. 7, lin. 10-11.

(E) *Datur ratio* cur interpretatio authentica depositi revelati soli magisterio competat. Magisterium enim ut suprema auctoritas, nonnisi nomine Christi exercenda, in Ecclesiae divinitus est constitutum (cf. E/2206, n. 28).

(F) Illa verba inseruntur, ut et fratres seiuncti statim videant magisterium in Ecclesia catholica nullatenus ut *dominum*, sed ut *ministerium* verbi Dei considerari, quippe quod suum sit illud interpretari, nihil addendo vel subtrahendo.

(G) Munus magisterii relate ad depositum revelatum verbis designatur simplicioribus *sancte custodit et fideliter exponit*, ut habetur in CONC. VAT. I. DENZ. 1836 (3069) (cf. E/2230).

Tres praeterea sunt adnotandae *omissiones*:

a) Omittuntur verba textus prioris: *illustrando et etiam enucleando... et obscure continentur* (n. 9, lineis 10-13), quippe quae terminologiam scholasticam nimis sapiant et ab intento proposito non parum exulent.

b) Omittuntur speciatim verba: *in una vel altera parte depositi* (n. 9, lin. 11-12), quae a multis Patribus increpantur ac si quaestionem de duplici fonte denuo excitent et ad terminologiam « partim... partim », a Conc. Trid. exclusam, redeant (cf. E/295; E/296; E/301; E/313; E/325; E/326; E/353, 2 [*Animadv. dact.*, p. 96]; E/414; E/469; E/2166; E/2230; E/2396; E/2480).

c) Omittitur denique integra ultima periodus: « Exinde *regula fidei proxima* quidem est Ecclesiae magisterium, remota vero sacrum depositum » (n. 9, lin. 13-15). Quod enim per eandem affirmatur videtur esse extra contextum; terminologia autem adhibita primo ictu non videtur rei exprimendae omni ex parte consentanea (cf. E/296; E/391, 4 [*Animadv. dact.*, p. 104]; E/391, 5 [*Ibid.*, p. 110]; E/433; E/447; E/511; E/458; E/2207; E/2230; E/2396).

(H) Haec verba, quae proveniunt ex textu priori, n. 7, lin. 12-14,

hic suo proprio loco ponuntur, cum relationem magisterii ad depositum revelatum, de qua agitur, aperte indicent: *omnia ex eo haurit*.

(I) Loco « consistere non possit », dicitur *non consistat*, ut quaestio facti potius consideretur quam quaestio iuris. Per se enim, absolute loquendo, Traditio, Scriptura et Magisterium unum sine aliis consistere posset; reapse Traditio et Magisterium existebant antequam Scriptura in sua integritate existeret.

(J) Haec sententia, quae in textu priori propria periodo exprimebatur (n. 10 lin. 29-31), cum praecedenti coniungitur, ad clariorem idearum nexum servandum. Quare, loco « Tria simul », ponitur *omniaque simul*, addito etiam verbo « singula », uti recta latinitas exigit.

Omittuntur autem ultima verba: *sensu quoque fidelium subordinate concurrente*, quae diversimode a quattuor conferentiis Episcopalibus et a nonnullis aliis Patribus improbantur, cf. E/223; E/301; E/305; E/325; E/414; E/426; E/458; E/511; E/2481. De cetero illa verba *inutilia* redduntur post additam primam periodum, ubi, cum affirmetur depositum revelatum toti Ecclesiae esse commissum, eo ipso de momento sensus fidelium ex professo dicitur; cui praeterea integra dedicatur paragraphus in Schemate *De Ecclesia*, n. 12, p. 13, lin. 6-20.

CAPUT III (olim II)

DE SACRAE SCRIPTURAE DIVINA INSPIRATIONE ET INTERPRETATIONE (A)

Textus prior

11. [*Statuitur factum inspirationis et inerrantiae S. Scripturae*]. Divina Revelatio, afflante divino Spiritu litteris consignata, in Sacra Scriptura continetur et prostat. Quae Scriptura, ex apostolica fide, «divinitus inspirata» (2 Tim. 3, 16) creditur, quia nimirum Deum habet principalem auctorem. Deus autem, hominibus ad id delectis, qui hagiographi vocantur, tamquam vivis instrumentis, omnibus nempe humanis facultatibus praeditis, usus est, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, universis hominibus scripto traderent.

Cum ergo totius Scripturae Deus principalis auctor affirmetur et sit, inde totam Scripturam divinitus inspiratam ab omni prorsus errore immunem esse consequitur.

12. [*Quomodo S. Scriptura sit interpretanda*]. Cum autem Deus per homines scripserit, hac de causa, ut pateat quamnam veritatem nobis communicare voluerit, interpres Sacrae Scripturae attente investigare debet quid reapse hagiographus significare intenderit. Aliter enim veritas in textu historico et aliter in textu didactico, prophetico, poetico, allegorico aut parabolico proponitur et exprimitur.

Textus emendatus

11. [*Statuitur factum inspirationis et inerrantiae S. Scripturae*]. Divinitus revelata (B), quae afflante Spiritu Sancto (C) litteris consignata sunt, in Sacra Scriptura continentur et prostant. Libros (D) enim tam Veteris quam Novi Testamenti sancta Mater Ecclesia, ex apostolica fide (cf. Io. 20, 31; 2 Tim. 3, 16; 2 Petr. 3, 15-16) (E), pro sacris et canonicis habet propterea quod, Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt. In sacris vero libris conficiendis Deus homines elegit, quos omnibus facultatibus ac viribus suis utentes adhibuit (1), ut Ipso in illis et per illos agente (2), ea omnia eaque sola, quae Ipse vellet (F), scripto traderent (3). Cum ergo omne id, quod auctor inspiratus seu hagiographus (G) asserit, retineri debeat assertum a Spiritu Sancto, inde Scripturae libri integri cum omnibus suis partibus (4) veritatem sine ullo errore docere profitendi sunt (5) (H).

12. [*Quomodo S. Scriptura sit interpretanda*]. Cum autem Deus in Sacra Scriptura per homines more hominum locutus sit (6) (A), interpres Sacrae Scripturae, ut perspiciat, quamnam veritatem Ipse nobis communicare voluerit, attente investigare debet (B), quid hagiographi reapse significare intenderit (C) et eorum verbis manifestare Deo placuerit (D).
Ad hagiographorum intentionem eruendam

Textus prior

Quod autem ad singula spectat, modus veritatem attingendi diiudicetur oportet ex sensu quem in determinatis adiunctis, pro sui temporis condicione, exprimere intendit et expressit hagiographus. Veritas ergo, seu id quod sacer auctor scribens significare voluit, non recte intelligitur nisi rite attendatur ad suetos illos nativos cogitandi, dicendi narrandive modos, qui temporibus hagiographi vigeant, quique tunc in mutuo hominum commercio passim adhiberi solebant.

Cum igitur haec omnia, salva Scripturae Sacrae auctoritate et sanctitate, in divino eloquio, quod pro hominibus modis verbisque humanis exprimitur, inveniantur, non magis erroris eadem argui debent, quam cum paria aut similia in quotidiano usu haberentur, immo habeantur, proindeque auctoritati et sanctitati Scripturae minime officiant. Cuncta autem haec, de ratione interpretandi Scripturam, ad normam hermeneuticae rationalis et catholicae, Ecclesiae iudicio ultime subsunt.

[Vide n. 19, ubi de exegesi catholica].

13. [*Dei condescensio*]. Quae omnia, salva semper Dei veritate et sanctitate, manifestam statuunt aeternae Sapientiae admirabilem « condensationem », qua Dei verba humanis linguis expressa, quoad omnia humano sermone assimilata facta sunt, sicut olim Unigenitum Patris Verbum, humanae infirmitatis assumpta carne, hominibus quoad omnia simile factum est, « absque peccato » (Hebr. 4, 15).

Textus emendatus

inter alia etiam « genera literaria » respicienda sunt. Aliter enim veritas in textibus vario modo historicis, prophetis, poeticis, vel aliis dicendi generibus proponitur et exprimitur (E).

5 *Oportet porro ut interpretes sensum inquirat, quem in determinatis adiunctis hagiographus, pro sui temporis condicione, exprimere intendit et expresserit (7). Veritas enim seu id quod sacer auctor scripto (F) significare voluit, non recte intelligitur, nisi rite attendatur ad suetos illos nativos cogitandi, dicendi, narrandive modos, qui temporibus hagiographi vigeant, quique tunc mutuo hominum commercio passim adhiberi solebant (8). Cum haec omnia in divino eloquio, quod pro hominibus modis verbisque humanis exprimitur (9), inveniantur, non magis erroris eadem argui debent quam cum paria aut similia in quotidiano usu habita sint (G), immo habeantur, proindeque auctoritati et sanctitati Scripturae minime officiant.*

20 *Sed ad recte sacrorum textuum significationem eruendam, respiciendum est etiam ad contentum totius Scripturae, in viva Ecclesiae traditione, sub analogia fidei. Exegetarum autem est secundum has regulas adlaborare ad Sacrae Scripturae locos penitus intelligendos, ut, quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturatur (I). Cuncta enim haec, de ratione interpretandi Scripturam (H), Ecclesiae iudicio ultime subsunt, quae verbi Dei servandi et interpretandi divino fungitur mandato et ministerio (10) (K).*

35 13. [*Dei condescensio*]. Quae omnia, salva semper Dei veritate et sanctitate, manifestam statuunt aeternae sapientiae admirabilem « condensationem », qua Dei verba humanis linguis expressa, quoad omnia humano sermone assimilata facta sunt, sicut olim Aeterni (A) Patris Verbum, humanae infirmitatis assumpta carne, hominibus quoad omnia simile factum est (B).

NOTAE

Caput III (olim II) - *De Sacrae Scripturae divina inspiratione et interpretatione*

Ad n. 11.

(1) Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Divino afflante Spiritu*, 30 sept. 1943: AAS 35 (1943) p. 314, *Enchir. Bibl.* (EB) 556.

(2) *In et per hominem*: cf. Heb. 1, 1 et 4, 7 (*in*): 2 Sam. 23, 2; Mt. 1, 22 et passim (*per*); CONC. VAT. I: *Schema de doctr. cath.*, nota 9; Coll. Lac. VII, 522.

(3) LEO XIII, Epist. Encycl. *Providentissimus Deus*, 18 nov. 1893: DENZ. 1952 (3293); EB 125.

(4) Cf. *Comm. Bibl.*, Decr. 18 iun. 1915: DENZ. 2180 (3629); EB 420; S. S. C. S. OFFICII, Epist. 22 dec. 1923: EB 499.

(5) LEO XIII, *Providentissimus*, l. c.: EB 124; PIUS XII, *Divino afflante*, l. c.: EB 539.

Ad n. 12.

(6) S. AUGUSTINUS, *De Civ. Dei.*, XVII, 6, 2: PL 41, 537; CC s. l. XLVIII, p. 567, 58-59.

(7) S. AUGUSTINUS, *De Doctr. Christ.*, III, 18, 26: PL 34, 75-76.

(8) PIUS XII, l. c., DENZ. 2294 (3829-3830); EB 558-562.

(9) Cf. *Pont. Comm. Bibl.*, Epist., 16 ian. 1948: DENZ. 2302 (3863-64); EB 581.

(10) Cf. CONC. VAT. I, Const. *de Revelatione*: DENZ. 1788 (3007).

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS

RELATIO DE N. 11

(A) E/223 mentionem *inerrantiae in titulo* postulavit, quae autem necessaria non videtur, quia inerrantia ex inspiratione consequitur. E/558 suggestit aliam capitis structuram. Cum autem rem tractare in capite I et II provisum sit, cumque structura textus in quantum possibile non sit mutanda, propositio non accipitur.

Ratio habetur propositionis E/314, qui linguam nobiliorem postulat; E/257, qui nimis arctas definitiones arcere intendit, et E/490.

(B) Haec formula, scilicet *revelata*, loco « Revelationis », electa est ex diversis Episcoporum ad hanc rem propositionibus, E/214; E/218; E/605; E/223; E/414; E/2255; E/240, ne dirimatur quaestio disputata de habitudine inter S. Scripturam et Traditionem.

(C) Loco « Divino Spiritu » dicitur « Spiritu *Sancto* », ut evitetur repetitio vocabuli « Divinum » in eadem linea.

(D) Loco textus prioris, lin. 4-19, ponitur textus E/2230 cum paucis modificationibus infra describendis. Hoc enim textu diversis desideriiis satisfit: E/2166; E/223; E/458; E/2396; E/414; E/285; E/313; E/443; E/229.

(E) Bonum videbatur ex antiquo textu illa verba *ex apostolica fide* recipere, ut origo apostolica doctrinae de inspiratione Scripturae exprimeretur. Additur referentia ad 2 Petr. 3, 15-16.

(F) Loco *iuberet* ponitur *vellet*, postulantis E/313; E/443; E/2396; E/414; E/885.

(G) Quia videbatur verbum *hagiographus* sat inusitatum, utile visum est verbum explicativum addere similiter ac factum erat in textu priori, lin. 7-8.

(H) Textus propositus ab E/2396, quoad substantiam acceptus est, quia solutionem mediam praebet inter propositiones sibi invicem oppositas: ex una parte: E/223; E/469; ex altera parte E/414; E/433; E/285. Loco autem *docere* ponitur: *exhibere*.

RELATIO DE N. 12

(A) E/223 desideravit allusionem ad S. AUGUSTINUM, *Civ. Dei*, XVII, 6, 2, quam verbotenus dedimus addendo verba « in S. Scriptura », ut connexio cum sequentibus servaretur. Cf. etiam E/2230.

(B) E/414 aliique desiderabant, ut hic insereretur textus ex litteris

encycl. *Divino afflante Spiritu* assumptus, et deinde textus prior inde a lin. 4 usque ad lin. 24 deleteretur. Similiter E/458. Eorum ratio est, quod hic textus sit superfluous, immo ex parte ad Concilium non perti- nens.

Quia autem res minime superflua esse videtur et textus prior, in- quantum fieri potest servari debet, hoc desiderium non acceptum est. Claritatis causa, constructio phraseos paululum immutata est.

(C) Quia existunt libri S. Scripturae, ad quos *plures auctores* contu- lerunt, accepta est suggestio E/2230, de adhibendo numero plurali: « hagiographi ».

(D) Iure desiderabatur ab E/223; E/2166; E/313, ut praeter her- meneuticam mere rationalem locutio fiat *etiam de principiis theologicis* hermeneuticae (sensus a Deo intentus, analogia fidei, traditio). Quod factum est in fine paragraphi. Abstrahitur autem a solvenda quaestione de « sensu pleniore ».

(E) E/391, 2 (*Animadv. dact.*, p. 101); E/414; E/458 putant dif- ficultatibus hodiernae exegeseos in textu priori non satisfieri. Non videtur bonum, omnia genera litteraria enumerare. Propterea pauca tantum no- minantur et additur « *et aliis dicendi generibus* », secundum E/2396, et in genere litterario historico additur « *vario modo historicis* », ne fiat regressus ad statum ante encycl. *Divino afflante* et *Humani generis* datum.

(F) E/223 desiderabat ut loco *scribens* diceretur: *scribendo*. Me- lius autem videbatur dicere *scripto*.

(G) Ex rationibus stylisticis desiderabatur *habita sint loco haberen- tur*: E/223.

(H) Omissa sunt verba textus prioris, lin. 22-23: *ad normam her- meneuticae rationalis et catholicae*, quia idea nunc alio modo expri- mitur. Textus noster videtur media via esse inter desideria sibi invicem repugnantia: E/223; E/296; E/313.

(I) Verba *de labore exegetarum* desumpta sunt ex textu priori, n. 19, Vide infra pag. 38.

(K) Cedimus desiderio E/285; E/414; E/2396, addendo quaedam verba *de munere hierarchici magisterii*.

RELATIO DE N. 13

(A) Propositio E/2206 videbatur bona, scribendi nempe: « *Aeter- ni Patris Verbum* ».

(B) Omittitur referentia ad *Hebr. 4, 15*, cum verbis « absque pec- cato », quia tertium comparationis hic datum non est. Ideo citatio hoc loco non est ad rem. Cf. E/451 et E/350.

CAPUT IV (olim III)

DE VETERE TESTAMENTO

Textus prior

14. [*Historia populi electi in libris inspiratis enarrata*]. Amantissimus Deus, de totius humani generis salute arcano modo semper sollicitus, de populo a Se electo peculiarem curam habuit. Foedere enim cum Abraham (cf. Gen. 15, 18) et Moyse (cf. Ex. 24, 8) inito, populo sibi acquisito ita se verbis et gestis revelavit, ut Israel divinas cum hominibus vias experiretur, easque, ipso Deo per os prophetarum loquente, penitius et distinctius in dies intelligeret. Quae eventuum series, divino afflante Spiritu ab auctoribus sacris annuntiata, enarrata atque explicata, ut verum Dei verbum in libris Veteris Testamenti adhuc prostat, et ideo hi libri vim atque auctoritatem suam perenniter servant. « Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus » (Rom. 15, 4).

15. [*Indoles Foederis Veteris eiusque librorum*]. Vetus autem Foedus ad hoc praesertim fortiter ac suaviter dispositum erat, ut Christi universorum redemptoris eiusque regni adventum praepararet, multifariam prophetice nuntiaret (cf. 1 Pt. 1, 10) et variis typis significaret (cf. 1 Cor. 10, 11). Praeterea Veteris Testamenti libri, etsi nondum perfecte, Dei et hominis cognitionem credentibus suppeditant,

Textus emendatus

14. [*Historia salutis in libris Veteris Testamenti consignata*] (A). Amantissimus Deus humani generis salutem sollicite intendens, singulari dispensatione populum sibi elegit, cui promissiones concreditae sunt (B). Foedere enim cum Abraham (cf. Gen. 15, 18) et cum plebe Israel per Moysen (cf. Ex. 24, 8) inito, populo sibi acquisito ita *Se tamquam unicum Deum verum et vivum* (C) verbis ac gestis revelavit, ut Israel divinas cum hominibus vias experiretur, easque, ipso Deo per os prophetarum loquente, penitius et clarius (D) in dies intelligere posset (E) atque latius in gentes exhiberet (cf. Ps. 21, 28 s.; 95, 1 ss., 7 ss.; Jer. 3, 17; Tob. 13, 4) (F). Quae *oeconomia salutis* (G) ab auctoribus sacris *praenuntiata* (H), enarrata atque explicata, ut verum Dei verbum in libris Veteris Testamenti exstat; hi libri igitur *divino afflante Spiritu conscripti* (I) vim atque auctoritatem suam perenniter servant: « Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus » (Rom. 15, 4).

15. [*De momento Veteris Testamenti pro Christifidelibus*] (A). Vetus autem Foedus ad hoc praesertim dispositum erat, ut Christi universorum redemptoris eiusque regni adventum praepararet, prophetice nuntiaret (cf. Luc. 24, 44; Io. 5, 39; 1 Pt. 1, 10) (B) et variis typis significaret (cf. 1 Cor. 10, 11). Praeterea Veteris Testamenti libri, *pro conditione humani generis ante tempora instauratae a Christo sa-*

Textus prior

eosque docent modos quibus Deus cum hominibus misericorditer agat, et quibus quivis homo, in iis quae ad Deum et ad proximos spectant, se recte gerere debeat.

16. [*Relatio mutua Novi et Veteris Testamenti*]. Deus igitur, utriusque Testamenti inspirator et auctor, ita sapienter disposuit, ut Novum in Vetere lateret et in Novo Vetus pateret. Nam, etsi quaedam Veteris Foederis instituta, temporis praeparationis soli convenientia, Nova abrogata sint Lege, tamen Vetus Testamentum integrum, in praeconio evangelico assumptum et pars unius revelationis factum, in Novo sensum suum completum acquirit et ostendit. Ecclesia ergo, canonicos Veteris Testamenti libros ut suas Scripturas reverenter agnoscit et accipit.

Textus emendatus

lutis, Dei et hominis cognitionem ac modos quibus Deus *iustus et misericors* cum hominibus agit, *omnibus manifestant* (C). *Qui libri, etiamsi plura imperfecta et provisoria continent, momentum verae paedagogiae divinae etiam pro Christifidelibus servant* (1) (D). Unde attente a Christi discipulis legendi sunt, speciatim quia vividum sensum Dei sanctissimi ac clementissimi luculenter exprimunt.

16. [*De unitate utriusque Testamenti*] (A). Deus igitur *librorum* (B) utriusque Testamenti inspirator et auctor, ita sapienter disposuit, ut Novum in Vetere lateret et in Novo Vetus pateret (2). Nam, etsi *Vetus Foedus morte Christi Novo cessit* (Rom. 7, 4; Col. 2, 14) (C), *libri tamen Veteris Testamenti integri, utpote pars unius revelationis in praeconio evangelico assumpti* (3) (D), in Novo *significationem suam completam acquirunt* (cf. Mt. 5, 17 ss.; Rom. 8, 2, 3) (E) et *ostendunt*.

NOTAE

Caput IV (olim III) - *De Vetere Testamento*

Ad n. 15.

(1) PIUS XI, Litt. Encycl. *Mit Brennender Sorge*, 14 martii 1937: AAS 29 (1937) p. 151.

Ad n. 16.

(2) S. AUGUSTINUS, *Quaest. in Hept.* 2, 73: PL 34, 623.

(3) S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 21, 3: PG 7, 950; (= 25, 1: HARVEY 2, p. 115). S. CYRILLUS HIEROS., *Catech.* 4, 35: PG 33, 497. THEODORUS MOPS., *In Soph.* 1, 4-6: PG 66, 452A-453A.

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS

RELATIO DE N. 14

(A) Quaedam verba mutantur ut titulus argumento huius numeri melius respondeat: agitur enim *de historia salutis* in libris *Veteris Testamenti* consignata.

(B) Nexus internus qui habetur inter salutem humani generis et populi israelitici electionem clare indicatur (E/223). Insuper brevis sed sufficiens allusio fit ad *promissiones messianicas* (E/2200).

(C) Finis *monotheisticus* revelationis vetero-testamentariae hic verbis biblicis effertur (E/2200).

(D) *Clarius* loco *distinctius* ponitur ut intelligentia textus facilius evadat (E/223).

(E) Additur *posset*, quoniam clarius intelligentia revelatorum e parte populi electi de facto non semper est secuta (E/414).

(F) Additamentum ab uno Patre propositum (E/223); sermo est de aspectu historiae sacrae minime negligendo, scilicet *de conversione gentium*.

(G) Expressa mentio fit de *oeconomia salutis*, ut in hac paragrapho clarius exprimat secundus finis revelationis vetero-testamentariae, scilicet historia salutis (E/2200).

(H) Vox *praenuntiata* aptius quam *annuntiata* mentem Subcommissionis exprimit (E/414); eo ipso allusio ad libros propheticos, historicos, didacticos Veteris Testamenti clarius apparet.

(I) Submissio hanc emendationem proponit, ne momentum perenne Veteris Testamenti fundari appareat in *argumento* librorum potius quam in *inspiratione* eorumdem.

RELATIO DE N. 15

(A) Restituitur antiquus titulus utpote argumento huius numeri magis conformis: agitur nempe de *momento Veteris Testamenti pro christianis*.

(B) Citantur quidam textus biblici ut momentum *christologicum* Veteris Testamenti maiore vi prematur (E/490): praeparatur, praenuntiatur et «significatur» adventus Christi.

(C) Emendatio sufficienter innuit quod ethica Veteris Testamenti *non habet vim universalem* pro omni hominum aetate (E/414); insuper mentio fit de iustitia et misericordia Dei, quae sunt lineamentum Veteris Testamenti veluti peculiare (E/414).

(D) Affirmatur *momentum paedagogicum Veteris Testamenti* quod in Litt. Enc. *Mit brennender Sorge* fusius evolvitur; insuper ad aspectum provisorium Veteris Testamenti fit allusio (E/223). Additur autem quod Vetus Testamentum vividum exprimit *sensum Dei*, qui simul ut sanctissimus et clementissimus agnoscitur.

RELATIO DE N. 16

(A) Proponitur novus titulus qui argumento huius paragraphi magis respondeat, scilicet potius de *unitate* quam de *mutua relatione* Veteris et Novi Testamenti.

(B) Inseritur vox *librorum*, quia inspiratio ipsos libros afficit (E/2207).

(C) Quae nunc dicuntur doctrinae S. Pauli magis sunt conformia et obscuritas textus schematis aufertur (E/414); textus N. T. indicati ab E/391, 2 (*Animadv. dact.*, p. 102) quoque adduntur: Vetus Foedus cedit *Novo Foederi*, quod *morte Christi* inducitur.

(D) Vox *libri* claritatis causa inseritur (E/223).

(E) *Ordo expressionum mutatur*, ne putetur libros V. T. partem unius revelationis factos esse, propterea quod in praeconio evangelico sint assumpti. Loco *sensum* ponitur *significationem*, ne Concilium controversiam de sensu pleniore Scripturarum dirimere videatur. Adduntur textus biblici propositi ab E/391, 2 (*Animadv. dact.*, p. 102). Ceterae emendationes sunt ordinis tantummodo grammaticalis.

CAPUT V (olim IV)

DE NOVO TESTAMENTO (A)

17. (novus numerus) (B). [*Novi Testamenti excellentia*]. Verbum Dei quod in Evangelio operatur in salutem omni credenti (cf. Rom. 1, 16) praecellenti modo per scripta Novi Testamenti inspirata efficax adest. Ubi enim venit plenitudo temporis (cf. Gal. 4, 4), Verbum caro factum est et habitavit in nobis plenum gratiae et veritatis (cf. Io. 1, 14). Christus Regnum Dei in terris instauravit, factis et verbis Seipsum manifestavit, atque morte, resurrectione et gloriosa ascensione *missioneque Spiritus Sancti* opus suum complevit. Exaltatus a terra omnia ad Seipsum traxit (cf. Io. 12, 39), utpote solus verba vitae aeternae habens (cf. Io. 6, 68). Quod autem aliis generationibus non est patefactum, revelatum est sanctis Apostolis eius et Prophetis in Spiritu (cf. text. graec. Eph. 3, 4-6), ut ipsi Evangelium praedicarent, fidem in Iesum Christum ac Dominum excitarent et Ecclesiam congregarent. Quarum omnium rerum scripta Novi Testamenti exstant testimonium perenne atque divinum. 5 10 15

Textus prior

17. [*Evangeliorum excellentia*]. Neminem autem fugit inter omnes, etiam Novi Testamenti Scripturas, Evangelia merito excellere, quippe quae praecipuum testimonium sint de Verbi Incarnati Salvatoris nostri vita atque doctrina. 20

Quattuor enim Evangelia originem apostolicam habere Ecclesia Dei semper et ubique, sine dubitatione tenuit ac tenet. Quae enim Apostoli ex mandato Christi praedicaverant, eadem postea, divino afflante Spiritu, in scriptis, ipsi et apostolici viri nobis tradiderunt, fidei nostrae fundamentum, quadriforme nempe secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Ioannem Evangelium. 25

Quoniam vero hodie apud quosdam quo-

Textus emendatus

18. (olim n. 17). [*Evangeliorum origo apostolica*] (A). Neminem fugit inter omnes, etiam Novi Testamenti Scripturas, Evangelia merito excellere, quippe quae praecipuum testimonium sint de Verbi Incarnati Salvatoris nostri vita atque doctrina.

Quattuor Evangelia originem apostolicam habere Ecclesia semper et ubique tenuit ac tenet (B). Quae (C) enim Apostoli ex mandato Christi praedicaverunt, postea, divino afflante Spiritu, in scriptis, ipsi et apostolici viri nobis tradiderunt, fidei fundamentum (D), quadriforme *nempe Evangelium*, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Ioannem (E).

Textus prior

que, qui christiano nomine decorantur, dubia sive de Evangeliorum fide historica, sive de eorum divina auctoritate circumferantur, peropportunum huic Sacrosanctae Synodo visum est, in re tanti momenti, praecipua principia enuntiare. 5

18. [*Evangeliorum indoles historica*]. Sancta Mater Ecclesia firmiter et constantissime tenuit ac tenet quattuor recensita Evangelia vere tradere quae Iesus Dei Filius, vitam inter homines degens, ad aeternam eorum salutem reapse et fecit et docuit (cf. Act. 1, 1). Quamvis enim formam praeconii aliquando resonent et cum historicae compositionis rationibus quae nostra praesertim aetate usurpantur non in omnibus convenient, Evangelia tamen veram et sinceram historiam nobis tradunt. Ea enim intentione conscripta sunt, ut sive ex traditione illorum « qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis », sive ex memoria et recordatione propinquorum et discipulorum Domini, cognoscamus eorum verborum de quibus eruditi sumus veritatem (cf. Lc. 1, 2-4). 15 20

19. [*Exegesis catholica*]. Exegetarum autem, qui in Ecclesia et ad Ecclesiae utilitatem in divina eloquia investiganda incumbunt, est, servatis rationalis et catholicae hermeneuticae normis, sub ductu magisterii Ecclesiae adlaborare, ut Evangelii loci, qui expositionem certam et definitam adhuc desiderant, bene intelligantur, ita ut, quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur. 25 30

20. [*De ceteris libris Novi Testamenti*]. Novi vero Testamenti volumen, praeterquam ex quattuor Evangeliiis, etiam ex aliis Apostolorum libris Spiritu Sancto inspirante conscriptis constat, quibus, ex sapienti Dei consilio, veritas vitae Christi confirmatur, genuina eius doctrina magis magisque declaratur atque sa-

Textus emendatus

19. (olim n. 18). [*Evangeliorum indoles historica*]. Sancta Mater Ecclesia firmiter et constantissime tenuit ac tenet quattuor recensita Evangelia vere tradere quae Iesus Dei Filius, vitam inter homines degens, ad aeternam eorum salutem reapse et fecit et docuit (cf. Act. 1, 1). *Apostoli quidem post mortem Domini ea quae Ipse dixerat et fecerat auditoribus ea pleniore intelligentia tradiderunt, qua ipsi eventibus gloriosis Christi instructi et lumine Spiritus veritatis (1) edocti fruebantur (2)*. Auctores autem sacri quattuor Evangelia conscripserunt, quaedam e multis vel ore vel iam scripto traditis *selegendo, quaedam in synthesim redigendo, quaedam ad statum ecclesiarum suarum attendendo*, formam praeconii retinendo, ita semper ut non ficta, *ex creatrici potentia primaevae communitatis promanantia (3)*, sed vera et sincera de Iesu nobis communicarent. Illa enim intentione scripserunt, sive *ex sua propria memoria et recordatione, sive ex testimonio (B)* illorum « qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis », ut cognoscamus eorum verborum de quibus eruditi sumus « veritatem » (C) (cf. Lc. 1, 2-4) (D). 10 15 20 25 30

20. [*De ceteris scriptis (A) Novi Testamenti*]. Novi vero Testamenti *canon praeter quattuor Evangelia etiam alia scripta apostolica (B)* Spiritu Sancto inspirante exarata *continet*, quibus, ex sapienti Dei consilio, ea quae sunt de Christo Domino confirmantur, genuina eius doctrina magis magisque declaratur, salu-

Textus prior

lutifera virtus divini operis Christi proclamatur. Apostolis enim suis Dominus Iesus, sicut promiserat, affuit (cf. Mt. 28, 20), et iis Paraclitum suum misit, ut omnia eos doceret et iis suggereret quaecumque iis Christus dixerat (cf. Io. 14, 26), ad aeternam humani generis salutem in aevum servanda.

Textus emendatus

tifera virtus divini operis Christi *praedicatur*, *Ecclesiae institutio ac admirabilis* diffusio narratur eiusque consummatio gloriosa revelatur (C).

5 Apostolis enim suis Dominus Iesus sicut promiserat affuit (cf. Mt. 28, 20) et iis Paraclitum *Spiritum* misit, qui eos in « omnem veritatem » in aevum servandam induceret (cf. Io. 16, 13, graece) ad aeternam humani
10 generis salutem (D).

NOTAE

Caput V (olim IV) - *De Novo Testamento*

Ad n. 19.

(1) Cf. Io. 14, 26; 16, 13.

(2) Io. 2, 22; 12, 16; 11, 51-52; cf. 14, 26; 16, 12-13; 7, 39.

(3) Cf. Instructio *Sancta Mater Ecclesia* Commissionis de Studiis Biblicis: *L'Osservatore Romano*, 14 maii 1964, pag. 3, n. 2 et n. 1.

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS

N. B.: In aliquibus rebus non parvi momenti Patres abbreviatum verbum, mutationes et praecisiones rogaverunt; caput V tamen in essentialibus non mutatur sed perficitur.

RELATIO DE TITULO ET N. 17

(A) Pluribus Patribus, E/305; E/327; E/458; E/2206; E/2396, *titulus* « De N. T. » displicebat, quia textus fere exclusive loquebatur de « Evangeliiis », et quidem unice sub aspectu apologetico. Haec ratio, admissis emendationibus de quibus infra, iam non valet; ideoque *titulus* remanere potest.

(B) Ante numerum 17 prioris schematis, suggerentibus pluribus Patribus, additus est novus numerus sub titulo: *Novi Testamenti excellentia*, ut tota materia Novi Testamenti praesentetur tam sub aspectu doctrinali quam sub aspectu historico. Ergo numerus est *omnino novus*, doctrinam reassumens quae ex omnibus partibus Novi Testamenti hauritur: ex Synopticis, Paulo, Ioanne, Act. Apost., etc.

RELATIO DE N. 18, OLIM N. 17

(A) *Titulus* mutatur in connexionione cum antea dictis, et nunc sonat: *Evangeliorum origo apostolica*.

(B) Prima paragraphus textum priorem reassumit. In secunda vero servatur *tenuit et tenet*, quamvis a pluribus Patribus mutatio in « credit ac credit » rogata fuerit: E/326; E/414; E/2166. Retinetur itaque communis formula schematis, quia ex una parte non excludit rem pertinentem ad fidem, et ex altera parte suggerit quaestionem versari circa rem in qua etiam historia magnam partem habet.

(C) Insuper in lin. 26 textus prioris vox *eadem* ab aliquibus impugnata fuit: E/240; E/270; E/414; E/2396, quia videbatur identitatem materialem asserere inter Scripturam et Traditionem. Ideo, sublata est.

(D) In lin. 28 textus prioris propositum est ut ad vocem *fundamentum* adiiiceretur *futurum*, ut textus conformis fieret cum locutione S. Irenaei. Sed quia textus S. Irenaei fuse citatur in nova redactione numeri 21, vox *futurum* hic non additur.

(E) Lineae 1-3, p. 38 textus prioris de *dubiis quae circumferuntur*, inutiles pluribus Patribus apparuerunt, eo vel magis quod ea quae postea

sequuntur maiorem vim accipient, si simpliciter affirmantur tamquam ad doctrinam catholicam pertinentia. Ita E/301; E/414; E/2206; E/2230.

RELATIO DE N. 19, OLIM N. 18

(A) Secunda phrasis textus prioris mutata est, ut ratio servetur Instructionis *Sancta Mater Ecclesia* Commissionis de studiis biblicis, 14 maii 1964; ita simul observationibus Patrum, E/236; 285; 458; 414, etc. satisfactio praebetur. Selecta est autem forma dicendi *positiva* potiusquam *adversativa*. Ad theorias quae historicitatem Iesu impugnant refellendas, satis provisum est in textu.

(B) In fine huius numeri non tantum citatur ut fons dictorum et factorum vitae Iesu *memoria et recordatio* auctorum, sed etiam ea quae ex *testimonio* acceperunt, ut sic duplex origo omnium quae tradita sunt appareat.

(C) *Veritatem* inter signa citationis ponitur, quia vox est intelligenda in conformitate cum textu graeco qui dicit: *firmitatem*.

(D) Notaverunt aliqui Patres istum priorem numerum 19 quodammodo extra locum esse. Nam *normae* quae ibi praebentur valent non tantum pro evangeliiis, sed etiam pro aliis libris S. Scripturae. Ita E/414; E/2206. Ergo hic sublata est paragraphus et in Cap. III, olim II, substantialiter resumpta, in fine scilicet novi n. 12.

RELATIO DE N. 20

(A) In titulo n. 20 dicitur *scriptis* loco *libris*, quia litterae apostolicae non sunt libri proprie dicti.

(B) Vox *canon* introducta est quia de eo in hoc capite mentio non erat. Loco *Apostolorum libris*, rogantibus multis Patribus, dictum est *alia scripta apostolica*: omnia enim scripta ab Apostolis confecta non sunt.

(C) Aliqua verba in fine paragraphi adiicienda videntur ad Ecclesiae institutionem et admirabilem diffusionem includendam, ut sic materia libri Act. Ap. indicetur. Item *consummatio gloriosa* explicite citatur in conformitate cum libro *Apocalypseos*.

(D) Ultima phrasis aliquantulum mutata est, ut videntur quaedam verba *citationis Io. 14, 26*, quibus mens totius capituli corrumpi potuisset. Etenim in Io. 14, 26 Dominus de illuminatione post resurrectionem suam loquitur per suggestionem Spiritus Sancti, sed in schemate nostro *historicitas proprie dicta*, ex recordatione et testimonio ipsorum qui audierant et viderant, specialiter illustratur.

CAPUT VI (olim V)

DE SACRA SCRIPTURA IN VITA ECCLESIAE (A)

Textus prior

21. [*Ecclesia S. Scripturas veneratur*]. Caelestem Sacrorum Librorum Veteris et Novi Testamenti thesaurum Ecclesia inde ab initio maxima veneratione prosecuta est, et numquam intermisit insigne illud Dei donum sibi concredendum fidelibus, praesertim in sacra liturgia, dispertire, iisque commendare, ut summa pietate illud tamquam pretiosum Dei donum acciperent.

In Sacris enim Libris Pater qui in caelis est filiis suis peramanter occurrit et cum eis fere colloquitur; tantaque verbo Dei vis ac virtus inest, ut Ecclesiae sustentaculum ac vigor et Ecclesiae filiis fidei robur, animae cibus, vitae spiritualis fons reapse exstet.

Textus emendatus

21. [*Ecclesia Sacras Scripturas veneratur*]. « Non per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos; quod quidem tunc praekonaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostrae futurum » (1). Praedicationis ergo evangelicae testimonium eximium sunt Scripturae Sacrae. Eas velut ipsum corpus dominicum semper venerata est Ecclesia, cum non desinat ex mensa tam verbi Dei quam corporis Christi panem vitae sumere atque fidelibus porrigere. Eas una cum Traditione semper sicut supremam fidei suae regulam habuit, cum non tantum a Deo inspiratae sint, ita ut verbum ipsius Dei impertiant, sed insuper illam immutabilitatis indolem, quae regulae competit, prae se ferant, et in verbis Prophetarum Apostolorumque vocem Spiritus Sancti personare faciant. Omnis ergo praedicatio ecclesiastica atque ipsa religio christiana ad Scripturam semper respicere debent tamquam ad normam et auctoritatem, quibus reguntur et iudicantur (A). In sacris libris Pater qui in coelis est filiis suis peramanter occurrit et cum eis sermonem confert; tanta autem verbo Dei vis ac virtus inest, ut Ecclesiae sustentaculum ac vigor, et Ecclesiae filiis fidei robur, animae cibus, vitae spiritualis fons reapse exstet. « Vivus enim est sermo Dei et efficax » (Heb. 4, 12), « qui potens est aedificare et dare haereditatem in sanctificatis omnibus » (Act. 20, 32; cf. 1 Thess. 2, 13) (B).

Textus prior

22. [*Commendantur accuratae versiones*]. Ut autem Christifidelibus ad Sacras Scripturas aditus late pateat, Ecclesia Dei sua auctoritate commendat et materna sollicitudine curat ut, ad penitio-
5 rem cognitionem et uberio-
rem declarationem verbi Dei, accuratae in linguas vernaculas versiones e praecellentibus Sacrorum Librorum textibus primigeniis conficiantur.

23. [*Doctorum catholicorum officium apostolicum*]. Verbi Incarnati Sponsa, Ecclesia
nempe, Sancto Dei et Christi Spiritu edocta, profundio-
rem in dies Scripturarum Sacrarum intelligentiam assequitur (cf. Io. 16, 13), ut filios suos divinis eloquiis indesinenter pascat. Exegetae autem catholici, alii-
que sacrae theologiae cultores, collatis viribus dent operam oportet, ut, sub ductu magisterii Ecclesiae, et altius Divinae Litterae investigentur et quam plurimi divini verbi administri Scripturarum pabulum
Dei plebi fructuose suppeditent, quod mentes
illuminet, firmet voluntates, hominum corda ad Dei amorem accendat.

24. [*S. Theologia verbo Dei innititur*]. Sacrae autem theologiae scientia, in verbo Dei

Textus emendatus

22. [*Commendantur accuratae versiones*]. Christifidelibus (A) aditus ad Sacram Scripturam late pateat oportet. Qua de causa iam ab origine sua Ecclesia graecam illam antiquissimam Veteris Testamenti versionem a LXX vi-
5 ris nuncupatam suscepit, quam sicuti alias versiones orientales et versionem latinam quam Vulgatam vocant, semper in honore habet. Cum autem verbum Dei omnibus temporibus praesto esse debeat, Ecclesia (B) sua auctoritate
10 mandat et materna sollicitudine satagit, ut accuratae (C) exarentur in varias linguas versiones, in liturgia atque catechesi necnon in pia lectione adhibendae, ex primigeniis scilicet sa-
15 crorum librorum textibus (D). Quae si conficerentur communi etiam cum fratribus separatis nisu, ab omnibus christianis adhiberi possent (E).

23. [*Doctorum catholicorum officium apostolicum*] (A). Verbi incarnati Sponsa, Ecclesia
nempe, a Sancto Dei et Christi Spiritu edocta (B), ad profundio-
rem in dies Scripturarum Sacrarum intelligentiam assequendam pro-
cedit (C), ut filios suos divinis eloquiis indesinenter pascat. Exegetae autem catholici, alii-
que Sacrae Theologiae cultores, collatis sedulo
25 (D) viribus, operam dent oportet, ut Patrum vestigia sequentes, sub ductu Magisterii (E), altius Divinas Litteras investigent, et quam plurimi divini verbi administri Scripturarum
pabulum plebi Dei fructuose suppeditent, quod
mentem illuminet, firmet voluntates, hominum
corda ad Dei amorem accendat (2). Sacra Synodus
biblicarum rerum cultores quotquot de-
35 voti sunt Ecclesiae filii, eiusque doctrinae et normis fideliter obsequuntur, animum addit ut opus feliciter susceptum, renovatis in dies viribus, omni studio exsequi pergant (3).

24. [*De momento Sacrae Scripturae pro Theologia*] (A). Sacra Theologia in verbo Dei

Textus prior

tamquam in suo primario et inalienabili fundamento consistit ex eoque argumenta trahit, quibus firmissime roboretur et semper iuvenescat. Sacrae etenim Scripturae verbum Dei non tantum continent, sed vere Dei verbum sunt, quo etiam verbi Dei ministerium, pastoralis nempe praedicatio, in qua homilia liturgica principem locum sibi vindicat, salubriter nutritur sancteque virescit.

25. [*Lectio S. Scripturae sacerdotibus commendatur*]. Quapropter Christi sacerdotes assidua lectione ac exquisito studio in Sacris Scripturis haerere necesse est, ne inanis forinsecus praedicator fiat « qui non est intus auditor », et ut verbi divini amplissimae divitiae, imprimis in cultu liturgico, ovibus suis communicare valeant.

26. [*Item fidelibus*]. Christifideles quoque ad sacrum ipsum textum libenter accedant, sive per sacram liturgiam divinis eloquiis confertam sive per ceteras ad id aptas institutiones, quae, approbante auctoritate Ecclesiae, ubique nostro tempore laudabiliter diffunduntur.

Sacris autem Antistitibus, « apud quos est apostolica doctrina », fideles sibi commissos ad rectum divinorum Librorum usum opportune instituere competit per versiones sacrorum textuum, quae necessariis et vere sufficientibus explicationibus instructae sint, ut tuto ac utiliter Ecclesiae filii cum Scripturis Sanctis conversentur.

Textus emendatus

revelato scripto et tradito tamquam in suo primario et *perenni* fundamento innititur, quo verbo firmissime roboratur semperque iuvenescit, *omnem veritatem in mysterio Christi conditam sub lumine fidei perscrutando* (B). Sacrae autem Scripturae verbum Dei continent et vere verbum Dei sunt; *ideoque Sacrae Paginae studium sit veluti anima Sacrae Theologiae*. Eodem autem verbo Scripturae etiam ministerium verbi (C), pastoralis nempe praedicatio, *catechesis omnisque instructio christiana*, in qua homilia liturgica *eximium locum habeat oportet* (D), salubriter nutritur sancteque virescit, *et fides credentium in eo veritatem Dei revelantis agnoscit*.

25. [*Lectio Sacrae Scripturae commendatur*] (A). Quapropter clericos omnes, imprimis Christi sacerdotes *ceterosque qui ut diaconi vel catechistae ministerio verbi legitime instant*, assidua lectione atque exquisito studio in Sacris Scripturis haerere necesse est, ne quis eorum fiat « verbi Dei inanis forinsecus praedicator, qui non est intus auditor » (4), dum verbi divini amplissimas divitias, speciatim in cultu liturgico, cum *fidelibus sibi commissis* (B) communicare debet (C). Pariter Sancta Synodus christifideles omnes, *praesertim sodales religiosos, vehementer peculiariterque exhortatur, ne « ob ignorationem Scripturarum ignoratione Christi » laborent* (5), *sed ut potius frequenti divinarum Scripturarum lectione « eminentem scientiam Iesu Christi »* (Phil. 3, 8) *ediscant*. Libenter igitur ad sacrum textum ipsum accedant, sive per sacram liturgiam divinis eloquiis confertam, *sive per piam lectionem* (D), sive per institutiones ad id aptas *aliaque subsidia* (E), quae approbante *et curante* Ecclesia (F) ubique nostro tempore laudabiliter diffunduntur (G).

40 Sacris autem antistitibus, « apud quos est apostolica doctrina » (6), fideles sibi commis-

Textus prior

Textus emendatus

Sicut enim ex adaucto Sanctissimae Eucharistiae cultu Ecclesiae vita incrementum accipit, ita ex digna aestimatione et cultu verbi Dei quod « manet in aeternum », novum spiritualis vitae impulsum sperare licet.

5 sos ad rectum divinatorum Librorum usum, praesertim Novi Testamenti et imprimis Evangeliorum, opportune instituere competit per sacrorum textuum versiones, quae necessariis et
vere sufficientibus explicationibus instructae sint (H), ut tuto ac utiliter Ecclesiae filii cum Scripturis Sacris conversentur earumque spiritu imbuantur.

10 Insuper editiones Sacrae Scripturae, debitis instructae adnotationibus, ad usum etiam non-christianorum eorundemque conditionibus accommodatae, conficiantur, quas quoquomodo sive animarum Pastores sive christiani cuiuscumque status spargere sapienter curent (I).

15 26. [Epilogus]. Ita ergo lectione et studio Sacrorum Librorum « sermo Dei currat et clarificetur » (2 Thess. 3, 1), thesaurusque revelationis, Ecclesiae concreditus, magis magisque
20 corda hominum impleat. Sicut ex adaucto Sanctissimae Eucharistiae cultu Ecclesiae vita incrementum suscipit, ita ex digna aestimatione et cultu verbi Dei quod « manet in aeternum » (Is. 40, 8; cf. 1 Pt. 1, 23-25), novum spiritualis vitae impulsum sperare licet.

NOTAE

Caput VI - De Sacra Scriptura in vita Ecclesiae

Ad n. 21.

(1) S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 1, 1: PG 7, 844; HARVEY, 2, p. 2; SAGNARD, p. 94.

Ad n. 23.

(2) PONT. COMM. BIBLICA, *Instructio de S. Scriptura in Clericorum Seminariis et Religiosorum Collegiis recte docenda*, 13 maii 1950: AAS 42 (1950) pp. 495-505.

(3) Cf. PIUS XII, EB 569.

Ad n. 25.

(4) S. AUGUSTINUS, *Serm.* 179, 1: PL 38, 966.

(5) S. HIERONYMUS, *Comm. in Is.*, Prol.: PL 24, 17.

(6) S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* IV, 32, 1; PG 7, 1071; (= 49, 2) HARVEY, 2, p. 255.

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS

DE TITULO

(A) Loco « De usu S. Scripturae » ponitur « De S. Scriptura in vita Ecclesiae », quia « usus » S. Scripturae est dictio non bene sonans. Insuper in « vita » Ecclesiae includitur etiam idea de apostolatu et de missionibus; quam ideam exhibendam postulavit E/245.

RELATIO DE N. 21

(A) Textus novus lin. 1-16 desumptus est ex E/300, in quo textu propositiones maioris momenti ab aliis Patribus allatae satisfactionem obtinent, scilicet E/313, qui sermonem volebat de utilitate *catechetica*; E/223, qui mentionem *sacramentorum* optabat; E/327, qui de *insigni dono* scripturarum sermonem desiderabat.

E/458 verba textus prioris, lin. 4-5, *nunquam intermisit*, tamquam sententiam vix sinceram considerabat. Verba illa in nova redactione non amplius occurrunt. E/2396 stylum magis biblicum et magis sobrium postulabat. Alii, nempe E/2255; E/344; E/2206; E/443; E/2230 proponunt minores mutationes, potius stylisticas, quae in nova redactione impleri videntur.

(B) Propositio E/2230 de citandis *Heb. 4, 12* et *Act. 20, 32*, etiam desiderio plurium aliorum Patrum correspondet, nempe E/2199; E/2255. Hi Patres schema *De verbo Dei* (ante primam sessionem Concilii a Secretariatu ad unitatem christianorum fovendam exaratum) in memoriam revocaverunt. Ex hoc schemate verba hic posita et deinde plura alia in decursu Capituli VI deprompta sunt. Loco tamen citationis *Act. 20, 32*, quidam proponebant, ut afferantur verba *1 Thess. 2, 13*, quorum sola referentia sufficere videtur.

RELATIO DE N. 22

(A) Textus emendatus est secundum propositionem multorum Episcoporum E/414, quia sic etiam desiderium plurium aliorum Patrum impletur: E/2240; E/488; E/2389, qui, licet diversis modis, mentionem *LXX et aliarum versionum* orientalium necnon *Vulgatae* fieri voluerunt. E contra E/353, de approbatione versionum S. Scripturae, tangit quaestionem iuridicam, quae in hoc schemate tractanda non videtur.

(B) Secundum E/223 loco *Ecclesiae Dei* legitur simpliciter *Ecclesia*.

(C) E/349 proponit ut post verbum *accuratae* addatur *cultae* vel *politae*. Quod ex natura rei sub *accuratae* iam intelligitur.

(D) Ad evitandam ambiguitatem textus, quam timet E/313, forma dicendi simplicior electa est.

(E) Propositio E/327, *de communi labore cum fratribus separatis*, placuit, quia fini oecumenico huius Concilii correspondet.

RELATIO DE N. 23

(A) Plures: E/414; E/390; E/306 aliqua verba laudis *pro munere exegetarum* postulaverunt. Ideo in fine huius numeri additur phrasis ex E/414 desumpta: *Sacra Synodus biblicarum rerum cultores... exsequi pergant*.

(B) Redactio quam proponit E/247: *Spiritu Sancto (vel Paraclito) et Verbo Dei incarnato edocta*, non placuit, quia textus ut iacet terminologicè magis cum Biblia correspondet.

(C) Propositio E/2206, delendi scilicet citationem *Io. 16, 13*, accepta est, quia bene fundata. Exprimitur autem etiam *nisus* Ecclesiae ad proficiendum in intelligentia S. Scripturae.

(D) Verbum *sedulo* insertum est secundum propositionem plurium Patrum, v. g. E/350; E/2166, quia cooperatio exegetarum et eorum qui theologiae dogmaticae et morali incumbunt, in hodiernis adiunctis maxime promovenda est. — Propositio autem E/327, nempe inserendi: « *catholici acatholicis consultis* », necessaria non videtur, cum haec consultatio, medio operum saltem scientificorum, iam ad praxim exegeteas et theologiae catholicae pertineat. Instituuntur insuper congressus scientifici communes.

(E) E/469 vult expunctionem verborum *sub ductu Magisterii*, quorum tamen mentio superflua non videtur. Secundum E/511, insertum est praeterea: *vestigia Patrum sequentes*. Ex altera parte propositio E/350, de necessitate observandi analogiam fidei et traditiones Patrum, *hoc in loco* non adsumitur, quia sub n. 12 de hac re sermo habitus est. — De *exegetis* cf. supra sub A.

RELATIO DE N. 24

(A) *Titulus* melius aptatur ad contentum paragraphi. E/252 suggerit quaedam Statuta pro cursibus theologicis, quae potius pertinent ad Commissionem de Studiis.

(B) Loco phraseos: *ex eoque argumenta trahit*, aliam redactionem proponit E/2255, quae magna ex parte cum E/300 coincidit et alia plura desideria implet, v. g. E/327; E/2230; cf. etiam E/2206.

Quidam alii, E/605; E/218; E/223 timent, ne quaestio de materiali, ut aiunt, sufficientia S. Scripturae hic positive dirimatur. Sed in prima

phrasi de verbo *revelato* agitur, et non nisi in secunda sermo fit de *S. Scriptura*; additur ceterum *scripto et tradito*. Ita etiam ambiguitas, quam timet E/325 de verbo Dei « *revelato* » et « *scripto* », tollitur.

(C) Suggestente E/223 dicitur « *ministerium verbi* » sine « *Dei* », quia sic expressio est magis biblica, cf. Act. 6, 4, et ita etiam E/325 et E/2230 satisfactionem obtinent: paragraphus enim, praesertim in hac ultima phrasi momentum *S. Scripturae* pro praedicatione extollit.

(D) Ad mentem E/414, loco *principem locum* dicitur *eximium locum*. Sicut proponunt plures Patres, post verba *pastoralis praedicationis* additur: *catechesis omnisque instructio christiana*.

RELATIO DE N. 25

(A) N. 25 et prima pars numeri 26 *contrahuntur*, quia de eadem re, nempe de lectione *S. Scripturae* agunt; cf. E/2206. Nova redactio provenit ex E/229, cuius textus est apte compositus et pulchris Patrum citationibus ornatus. Citatio autem *S. Hieronymi*, *In Is. Prol.*: PL 24, 17 B: « *Nisi ante comederimus apertum volumen, docere non possumus filios Israel* », licet sit biblica, non videtur tamen coaevis nostris valde perspicua. Ideo visa est potius omittenda.

Non solum ad sacerdotes respicitur, sed etiam ad *alios praedicatores*, notatim diaconos et catechistas. Similiter postea explicite citantur *Religiosi*; cf. E/236.

(B) Loco *ovibus* ponitur *fidelibus*, E/326.

(C) Correctio latinitatis E/301 placuit.

(D) Iure plurimi postulaverunt ut *lectio privata* *S. Scripturae* commendaretur: v. g. E/240; E/259; E/447; E/458; E/414; E/300; E/305.

(E) Nominari *alia subsidia* necessarium videbatur, ne textus Constitutionis nimis arctus appareret.

(F) Verba *et curante* addita sunt, quia quaedam subsidia formali approbatione Ecclesiae non indigent, licet non extra eius curam cadant. Ceterum Antistites positive satagant ut *Scripturae secundum catholici sensus normam* a fidelibus legantur; cf. E/2200. Sic etiam ratio habetur observationis E/511.

(G) E/385 rem *mere iuridicam* de modo approbandi editiones biblicas postulat. Quae res alibi tractanda est.

(H) Commissioni visum est, imprimis *Novum Testamentum* et potissimum *Evangelia* hic efferenda esse, et insuper insistendum esse super aptam « *culturam* » biblicam. Loco *tuto ac utiliter*, E/469 proponit: *commode et utiliter*. Quod intentioni Patrum minus correspondere videtur.

(I) Editiones *S. Scripturae*, imprimis *Novi Testamenti*, ob finem *missionalem* etiam pro non-christianis praeparare oportet.

RELATIO DE N. 26: EPILOGUS

Ut nexus cum praecedentibus clarius appareat, inserta est phrasis introductiva huiusmodi: « Ita ergo lectione... » cum citatione 2 Thess. 3, 1. Secundum E/433, vel magis explicanda, vel derelinquenda esset comparatio inter *Eucharistiam* et *S. Scripturam*. Haec comparatio tamen est classica.

RELATIO GENERALIS
DE OBSERVATIONIBUS ACCEPTIS
SUPER SCHEMA CONSTITUTIONIS DE REVELATIONE

Mense maio anni praecedentis 1963 a Secretariatu generali missus fuit ad Patres Conciliares textus Schematis reformati *De Fontibus Revelationis* sub novo titulo *De Divina Revelatione*. Schema autem non submissum fuit discussioni Patrum in altera periodo conciliari. Die vero 3 Ianuarii huius anni 1964 Exc.mus Secretarius Generalis communicavit cum Em.mo Praeside Commissionis Doctrinalis, Commissionem Cardinalitiam Coordinatricem desiderare, ut Schema *De Revelatione* Patribus proponeretur in periodo tertia conciliari, revisum autem secundum *Observationes* Patrum scripto traditas. Ut huic desiderio satisfiat haec scribitur *Relatio* de *Observationibus* hucusque acceptis. Notum est Patribus dictum fuisse *Observationes* mitti posse Exc.mo Secretario Generali usque ad diem 31 Ianuarii 1964.

In sequentibus sermo fiet prius de quibusdam generalioribus et deinde, quin ad particularia descendatur, de *Observationibus* ad singula capita.

CONSIDERATIONES GENERALES

1. *De iis qui miserunt Observationes.*

Sunt circa 300 Patres, qui mentem suam manifestaverunt. Quorum 75 nomine proprio: ceteri vero ut membra conferentiae episcopalis vel alio modo uniti: modo colectivo autem responderunt 14 Patres Africae Orientalis; item 14 Africae Centralis; 8 Abruzzenses; 12 ex Aix-Avignon-Marseille; 48 Argentiniani; 8 Burdigalenses; 14 Belgici; 13 Galli meridionales; plures Galli occidentales; 28 Indonesiacy; 60 linguae germanicae; 12 Mexicani; 9 Scandinavicy; 12 Neerlandicy. Numeri sunt approximativi. Accedunt quinque Patres Galli et tres Trevirenses. Non constat ex documentis missis, num vota collectiva omnia unanimi suffragio sint facta: certe v. g. tres Patres Trevirenses non omnino consentiunt cum ceteris Patribus Germaniae.

2. *Laudes et approbationes.*

Episcopi Argentiniae, linguae Germanicae, Indonesiae, Neerlandiae et Scandinaviae, quibus accedunt decem alii, agnoscunt progressum respectu Schematis praecedentis, quatenus magis correspondeat menti mo-

dernae et fini oecumenico et pastorali Concilii. Multi quoque dederunt suum *placet*, gradu tamen diverso. Dum Episcopi Argentinae et quindecim alii clare exprimunt suas laudes, alii ab laudibus abstinent: Episcopi Africae Orientalis et Africae Centralis statuunt *Schema* eo sensu placere, ut discussioni in Aula proponi possit; Episcopi autem linguae germanicae et Scandinaviae limitant laudes suas dicendo in circumstantiis notis haud facile aliquid melius exspectari potuisse: agi enim de conventionem pacifica, ob quam in *Schemate* plura taceantur, de quibus libenter audiretur decisio.

3. *Critica et vituperationes.*

Maxime severi sunt Episcopi Abruzzenses: *Schema* enim non tangere quaestiones actuales, et melius annullari quam retineri sicut nunc est. Ad fere eandem conclusionem perveniunt Patres Aquisgranenses licet ex alia consideratione: etenim in *Schemate* tractanda non esse posse disputationi obnoxia: at si huiusmodi tangi non possint, forsitan expedire, ut *Schema* non proponatur. Patribus Abruzzensibus suo modo consentiunt tres alii, quorum unus notat ex comparatione cum *Schemate* antiquo apparere quaestiones maximi momenti vix esse delibatas (E/335). Secundus autem censet brevitatem *Schematis* nocere claritati et materiae integritati: omissas esse res valde pastorales, verbi gratia de deposito pure custodiendo, ac sileri res ordinis dogmatici valde actuales circa Scripturam et Traditionem: *Schema* insuper laborare minimalismo (E/223). Ultimus tandem eorum iudicat *Schema*, ut nunc proponitur, esse superfluum nulliusque utilitatis, cum non nisi nota et obvia contineat (E/214).

Hucusque critica radicalis: multi autem alii minus severe iudicant. Episcopi Burdigalenses notant quandam deficientiam doctrinalem; Episcopi Neerlandiae observant *Schema* non semper organice cohaerere: Episcopi Indonesiae putant non obstante progressu, *Schema* nondum correspondere expectationi Catholicorum et fratrum separatorum, ideoque plaudere sine nimio gaudio. Est quoque Pater, qui sentit, in *Schemate* saepius procedi ab aspectu humano quaestionis, dum initium sumi deberet a dogmatico (E/313). Sunt insuper qui respective dicunt textum non esse satis determinatum (E/343, 1 in *Animadv.* dact., p. 86): textum privari debita praecisione, etiam in rebus maioris momenti (E/2166); textum esse nimis scholasticum (E/426) vel carere nobilitate dictionis (/214); *Schema* in multis superari *Schemate* antiquo (E/605). Notemus tandem etiam esse Patrem Orientalem, qui desideret maiorem puritatem linguae latinae (E/391, 3 in *Animadv.* dact., p. 103).

4. *Condemnatio errorum.*

Haec quaestio, ni fallor, consideranda est in luce eorum, quae nuper Pontifex gloriose regnans, Paulus Pp. VI, in duobus sermonibus edixit.

In sermone enim, quo die 5 Dec. anni 1963 clausit secundam periodum Concilii Vaticani I, agens de textibus in tertia periodo proponendis, emendatis utique ratione habita Observationum a Patribus acceptarum vel accipiendarum, haec verba ad nos spectantia protulit (AAS 56 [1964], p. 36): « Huius generis est, ut exemplum supponamus, quaestio *de divina Revelatione*, quam Concilium eo modo persolvat, ut hinc sacrum depositum veritatum a Deo traditarum tueatur adversus errores, abusiones, dubitationes, quibus vis earum subiectiva infringatur, illinc studia Sacrorum Bibliorum, ope Patrum ac theologicae disciplinae recte dirigat, quae docti catholici viri, magisterio Ecclesiae fideliter inhaerentes et quibusvis aptis huius aetatis subsidiis usi, alacriter, prudenter, fidenterque promovere pergunt ». Et ut appareret, quantopere errorum refutatio sibi cordi esset, paulo post Papa ad delegatos Tridentinos loquens de Concilio Vaticano II dixit, quod (cf. O. R. 11 Dec.) « mira a chiarezza e a vigore di impegni per dirimere le confusioni di idee e le minacce derivanti dai molteplici errori del nostro tempo ». Sed iam antea Papa suam mentem hac in re manifestaverat. Die enim 4 Oct. 1963 ope Ill.mi F. Pucci in aula conciliari Em.mus Card. Micara egit de erroribus in Concilio condemnandis: Sed dolere Concilium seposuisse textus quibus errores reprobarentur; tale silentium in re gravi consecraria gravia gignere posse; pastorem sollicitudinem et curam non excludere, sed requirere ut fidei integritas in tuto collocaretur: nihil enim efficacius animas ad Deum conducere, quam annuntiationem integrae veritatis. In capite autem huius *Observationis* (E/610) Summus Pontifex propria manu notavit quod nullubi alibi accidit: « Digna videntur consideratione, quae hic dicuntur ».

Hucusque de mente Summi Pontificis. Iam de Patribus. Dum unus Pater est qui laudat absentiam condemnationum (E/327), et alius putat etiam in nova redactione inveniri tendentiam ubique inveniendi errores (E/301), alii plures diverso utuntur sermone. Est qui genericè statuit, apud plures Episcopos et sacerdotes adesse timorem, ne puritas doctrinae satis conservetur (E/218); alii qui monent damnationem errorum esse munus proprium Concilii (E/390; 610 et 1742); alii qui rogant, ut provideatur, ne fideles a quibusdam exegetis catholicis decipiantur (E/385 et 390); item alius qui asserit silentio conciliari de erroribus adhuc audaciores fore exegetas modernos (E/223).

Quod vero ad errores ipsos attinet, unus Pater denuntiat agnosticis- mum hodieum (E/252); alius relativismum theologicum et dogmaticum (E/605); quinque Patres Galli (E/350) necnon duo alii (E/343 et 1742) exoptant, ut clare damnentur errores circa historicitatem evangeliorum; alius idem exoptulat nominatim pro evangelio infantiae S. Lucae et gratum habebit si agetur contra falsum irenismum (E/390). Contra errores hodiernos nonnulli Patres in memoriam revocant monita magisterii recentiora. Uni placebit valde renovatio *Moniti* anno 1961 a Sancto

Officio editi (E/241); septem rogant ut magis ratio habeatur *Encyclicae Humani Generis*, quorum unus addit: « etiamsi displicet » (E/337).

5. *Additiones ad textum.*

Non sunt propositi novi textus integri, nec etiam singulorum capitum: fere omnes qui textum non simpliciter reiciunt, in eo conveniunt, quod textus oblatus sic uti iacet debitae revisioni et emendationi subici debet. Solummodo ad caput primum quod spectat, tres Patres sunt qui proponunt sat longam additionem, vid. Caput integrum *de Sacra Traditione*, ut suo loco dicitur. Plures quoque Patres sunt, qui putant variis locis plura esse addenda circa quaestiones hodie acrius agitatas, quin tamen concretam aliquam redactionem additionum proponant. Pauci autem, qui novam additionem vel emendationem brevioram proponunt, postea recensentur. Illud quoque memorandum, vid. Episcopos 12 Mexicanos desiderium exprimere, ut *Schemati* addatur breve Commentarium, ut factum fuit pro capite *de Laicis* in proponendo Schemate *de Ecclesia* (E/461). Medio mense martio 1964 Commissio adhuc accepit novam et longam redactionem *Prooemii* (circa 125 lineae compactae) et Capituli novi: *de Revelatione in genere* (circa 50 lineae): E/2396.

6. *Terminologia.*

Notat Pater quidam (E/240) in toto fere *Schemate* desiderari proprietatem verborum, et alius (E/229) vult ut accuratius teneatur unitas terminologiae. Quae utique cohaerent cum antea dictis de carentia claritatis et determinationis. Ex altera parte est, qui observat (E/426) « Hoc Schema non satis accurate redactum est, indole nimis scholari ».

7. *Titulus Schematis.*

Videtur novus titulus *De Divina Revelatione* generatim placere: imo duo Patres mutationem tituli expresse laudant (E/353, 2 [*Animadv. dact.*, p. 96] et 253). Unus contra alium titulum proponit, vid.: *De Deo seipsum revelante* (E/313). Alius notat titulum *Schematis*, ut nunc exhibeatur, potius audiri debere: *De Sacra Scriptura*, cum de Sacra Traditione fere nihil habeatur.

OBSERVATIONES GENERALIORES AD SINGULAS PARTES

1. *De Prooemio: Revelatio.*

a) Modo generice loquendo prooemium placet iuxta modum. Si excipis Patres Galliae Occidentalis, quibus potius grata esset nova totius *Prologi* redactio, et Patres Abruzzenses, qui iudicant in *Prooemio* nil valoris contineri, alii mitius censent. Est Pater, cui numeri 4-6 sat

artificialiter videntur cum praecedentibus numeris 1-3 coniuncti (E/395); alius est, qui putat expedire, ut statim in initio dicatur de adhaesione Concilii ad placita Encyclicae *Humani Generis* (E/214); et tertius, cui displicet prooemii latinitas deficiens (E/391, 5 [*Animadv. dact.*, p. 107]).

b) Quod si revelationem intelligimus *sensu latiore*, est Pater qui exoptat, ut melius notentur varia stadia revelationis in sua cohaerentia mutua (E/391, 5 [*ibid.*]), dum tres alii desiderant, ut clarius dicatur de revelatione sic dicta naturali, etiam ob errores hodiernos agnosticos (E/213, 218, 223). Episcopis Belgiae placebit, si dicatur de possibilitate ad legis naturalis cognitionem. Patres Indonesiae observant revelationem etiam locum habere in magnalibus Dei. Est quoque Episcopus, putans in *Prologo* confundi revelationem naturalem et supernaturalem (E/313). Alius autem in oppositione ad praedictos sentit de revelatione naturali iam satis dictum fuisse in Concilio Vaticano I (E/511).

c) Quod si revelationem intelligimus *sensu strictiore*, rogatur, ut clare doceatur revelationem Christianam esse hic in terra definitivam (E/2255); sunt dein quinque Patres Galli qui petunt ut statim in initio proponatur stricta et adaequata definitio tum ex parte Dei revelantis, tum ex parte rei revelatae; Episcopi autem Africae Centralis exoptant, ut maior ratio habeatur responsionis hominis revelanti Deo per fidem dandae. Inde necessitas gratiae, quam exponi volunt Episcopi Scandinaviae et linguae germanicae, necnon duo alii Patres (E/2255 et E/257), quorum ultimus notat, re ex parte hominis considerata, revelationem esse primario in gratia Dei, secundario vero in doctrina accepta. Notemus tandem Episcopos Indonesiae, exoptantes, ut clarius distinguatur inter revelationem ipsam et revelationis credibilitatem. Quibuscum consentit alius Pater (E/2230), dum iterum alius censet miracula simul esse manifestativa et confirmativa (E/2255).

d) Quod ad descriptionem revelationis attinet, sunt qui putant, conceptum in *Schemate* expositum non esse sufficienter enucleatum (E/327 et 5 Patres Galli E/350); expositionem notionis nondum esse satis praecisam (E/391, 4 [*Animadv. dact.*, p. 104]); revelationem non exponi debere ut collectionem verborum (E/300) vel ut enuntiationem theseon (E/391, 5 [*Animadv. dact.*, p. 107]); conceptum in *Schemate* propositum esse nimis intellectualem (Idem et E/426) et scholasticum (E/259), laborare conceptualismo (E/2230).

Principalis autem ratio alicuius intellectualismi reprobandi fuerit, quod in *Schemate* non satis attendatur ad id, quod revelatio non verbis dumtaxat fiat, sed etiam factis salutaribus. Ita Episcopi Africae Centralis Occidentalis cum tribus aliis Patribus (E/259, 426, 450). Pro parte consentiunt Episcopi Neerlandiae et quinque Patres Galli statuendo factis salutaribus effici quidem ut cognoscantur mysteria Dei, at tamen non plene, nisi accedat divina locutio. Sunt etiam Patres, qui censeant non sufficienter in lucem poni revelationem essentialiter consistere

in Dei locutione secundum Hebr. 1, 1-2 (E/395 et 605 collato E/446). Episcopi Belgiae notant revelationem non tantum esse verbalem, sed etiam realem: Deum semetipsum revelare (DENZ. 1785).

Aliae rationes allatae de conceptu nimis scholastico et intellectualistico sunt sequentes: Episcopi Burdigalenses existimant non satis dici de revelationis habitudine ad vitam. Plures alii Patres putant Deum non solum se revelare nobis ut verax est, sed etiam ut Deus vivus (Epp. Galliae Occid.: E/300) et Deus amans homines (E/349). Alius Episcopus censet non satis attendi ad Christum etiam propria sua persona revelantem (E/265), vel ut alius observat, revelantem Patrem secundum Io. 14, 9 (E/2230); Episcopi Aix-Avignon-Marseille desiderant, ut firmiter affirmetur, Iesum Christum, Dei Verbum, esse primum fontem revelationis. Imo non deest qui asserat revelationem ante omnia esse ipsum Christum Dominum (E/316).

e) Notemus tandem Episcopum censentem melius esse non afferre exemplum concretum veritatis ex sola revelatione supernaturali cognoscibilis. In India enim a non-Christianis admitti incarnationem (E/2046).

2. Ad Caput olim I: De Verbo Dei revelato.

a) Non omnibus placet *titulus* novus. Ut meliores proponuntur: *de Revelatione* (E/426); *de Revelationis Transmissione* (5 Patres Galli: E/350); *de Scriptura et Traditione* (E/300). Alii non quidem alium titulum proponunt, sed statuunt titulum non correspondere textui (Epp. Argentinae: E/443), vel titulum non satisfacere, cum revelatio sit magis verbum Dei revelans quam verbum Dei revelatum (E/391, 4 [*Animadv.*, dact., p. 140] et E/391, 5 [*Ibid.*, p. 107]).

b) Est qui putat numerum 7 *de Apostolis praedicatoribus* esse reficiendum, cum immerito in hoc numero de solo Novo Testamento sermo fiat, quare novam proponit redactionem (E/223).

c) Quod ad *Traditionem* spectat, est Pater qui censet melius de ea dictum fuisse in priore *Schemate* (E/605), et alius qui putat verba facta de Traditione ingerere timorem retrogressus doctrinalis (E/2166), dum tertius asserit Traditionem tractari veluti cenerentolam (E/223). Quod multi alii minus poetice exprimunt. Patres Abruzzenses iudicant de Traditione nil actuale habere; Episcopi Burdigalenses lamentantur ne descriptionem quidem habere Traditionis; Episcopi Galliae meridionalis dicunt Traditionem negligi ideoque adesse periculum, ne hac deficientia eius valor imminuatur. Alius Pater putat brevem sed claram descriptionem et enarrationem Traditionis eo magis esse necessariam, quo magis plures acatholici voce Traditionis male afficiantur (E/391).

Quare mirum non est plures Patres desiderare ut saltem numerus specialis Traditioni dedicetur (Episcopi 13 Galliae merid. et E/391, 4 [*Animadv.* dact., p. 104], E/223, E/286, E/313, E/327, E/336), quorum duo (E/391, 4 et E/313) suam mentem circa Traditionem longius

evolvunt. Tres sunt qui ulterius procedunt et rogant, ut fiat longior de Traditione tractatus. Quorum primum proponit textum sat longum et elaboratum, in quo successive agitur de Traditionis indole verbali et reali, de subiecto Traditionis seu de Ecclesia à Spiritu Sancto directa, et tandem de mutua habitudine Traditionis, Bibliæ, Ecclesiæ et Magisterii (E/300). Alius haud aliter textum latius evolutum exhibet, in quo per varia capita tractatur de Sacrae Traditionis existentia, natura, momento, nexu cum S. Scriptura, habitudine ad Magisterium, et tractatui finis imponitur epilogo (E/2206). Tertius tandem affert textum provisorie et compendiose redactum, in quo per quinque paragraphos exponuntur Sacrae traditionis natura, extensio, loci inventionis, species duplex divina videlicet et ecclesiastica, necnon relatio ad Ecclesiæ Magisterium (E/308).

d) Plures sunt qui desiderant ut fusius agatur de *Relatione inter Traditionem et Sacrum Magisterium*. Sunt duo Patres qui hac de re longiores exhibuerunt expositiones (E/308 et 313), dum alii paucioribus sese manifestant (E/300 et 327). Item sunt qui desiderant ut latius agatur de relatione Traditionem inter et Scripturam. Notat quidam Pater expositionem in *Schemate* hac de re datam, haud aliter ac de relatione inter Traditionem et Magisterium, esse sat frigidam et hac de re melius agi in Compendio Conferentiæ Episcoporum Austriae, Belgii etc. Quod ad Scripturam attinet plures una cum Episcopis Scandinaviae et linguae germanicae censent traditionem esse tempore priorem Scriptura (E/214, 218, 265, 2046), immo et pondere (E/214, 218, 2237). Immo ultimus numeratus (E/2237) in longa dissertatione de triade Scriptura-Traditio-Magisterium, existimat in *Schemate* minus recte procedi a Scriptura ad Traditionem et tandem ad Magisterium. Ordinem esse invertendum: Ecclesiam ipsam duce Spiritu Sancto conservare et exponere traditionem et esse auctorem litterarium S. Scripturae: hac de causa Ecclesiam determinare potuisse Canonem, et explicare S. Scripturam haud aliter ac Traditionem.

e) Hisce praemissis notemus quaedam postulata magis specifica de Traditione:

Dicendum non tantum de Traditione passiva sed etiam de activa (E/2166).

Dicendum de Traditione divina et mere ecclesiastica (E/308).

Dicendum de Traditione explicativa et additiva (E/605 et 2217).

Dicatur Traditionem non tantum esse verbalem, sed etiam realem, quatenus videlicet conservatur in ritibus, consuetudinibus, praxibus etc. (Epp. Galliae merid. et occid. necnon E/391, 4 [*Animadv. dact.*, p. 104]).

Traditio consideretur ut vita ipsius Ecclesiæ (E/426).

Traditio magis consideretur ut subiacens influxui Spiritus Sancti (E/214, 218 et 426).

Dicatur nullum esse dogma, quod non sit in S. Traditione; Scripturam non cognosci, retineri et conservari nisi Traditione, ideoque nullam explicationem S. Scripturae valere, nisi concordet cum Traditione (E/2046).

f) *De Sacro Magisterio in Schemate* sermo est nn. 9-10. Quod ad observationes attinet, iam quaedam necessario praelibavimus ob connexionem cum S. Scriptura et S. Traditione. Notemus imprimis novam redactionem proponi ab Episcopis Neerlandiae necnon a duobus aliis Patribus (E/300 et 308). Etiam de Magisterio censetur quod tempore praecedit Scripturam (E/265 et 2237). Quare sunt qui proponant ut de Magisterii natura dicatur antequam sermo fiat de eius relatione ad depositum scriptum et traditum (E/327 collato E/2237). Est quoque qui reprobatur in *Schemate* Magisterium considerari ut fontem (E/426), dum alius censet acta Magisterii v. g. Conciliorum, fieri partem Traditionis et Depositum (E/433 coll. 511).

Episcopi Neerlandiae, Scandinaviae, Belgii et linguae germanicae distinguentes inter Ecclesiam et Magisterium Ecclesiae, statuunt depositum fidei concreditum esse toti Ecclesiae, expositionem autem soli Magisterio (item E/2230). Alius Pater autem insinuat expositionem etiam concreditam esse parentibus (E/391, 5 [*Animadv. dact.* p. 107]). Dum plures probant distinctionem classicam inter regulam fidei proximam et remotam, imo desideratur ut de regula proxima fusius dicatur (E/308), est Pater qui censet eam non esse canonizandam, dum alius eam teneat non esse felicem (E/391, 4 et E/391, 5). Etiam Episcopis Indonesiae non placet, quod Depositum dicatur regula remota in oppositione ad Magisterium, ut regulam proximam. Alius Episcopus putat mutandam terminologiam: Magisterium dicatur *regula*, Depositum autem *fons* (E/2207). Episcopi Scandinaviae, linguae germanicae et alius Pater censent Magisterium esse regulam proximam solis fidelibus, non ipsi Magisterio (E/433). Alius est, qui censet distinctionem inter Magisterium et Traditionem esse inadaequatam (E/511), dum tertius opinatur eandem non esse tam evidentem, ut nonnulli sibi fingunt (E/429). Observatur quoque Magisterium nullo modo veluti fontem considerari posse (E/426), atque tolerari non posse, ut Magisterium in una linea cum S. Scriptura et S. Traditione ponatur (E/313). Tandem Episcopi Scandinaviae et linguae germanicae observant in Antiquo Testamento non exstitisse Magisterium; et ab alio Patre notatur in Novo Testamento Sacrum Magisterium, in oppositione ad theologos, esse conscientiam Ecclesiae, nulla ratione autem Magisterium agere debere veluti « politiam » seu magistratum securitatis publicae doctrinalis (E/316).

g) Circa *sensum fidelium* plures exhibentur animadversiones. Notatur de hac re melius dictum fuisse in *Schemate* Commissionis Theologicae (E/391, 5 [*Animadv. dact.*, p. 107]), et Episcopi Indonesiae putant non hoc, sed alio loco, de sensu fidelium esse dicendum. Est Pater,

qui vult, ut de hac re latius dicatur, maxime propter orthodoxos (E/469), dum alius desiderat, ut melius valor eius describatur pro evolutione dogmatum (E/391, 5), et tertius ut ad textum addatur, ubinam appareat ille sensus, dicendo: « sicut apparet in scriptis, lege orandi et sacra arte » (E/304).

Sunt qui putant rem non esse sat clare explicatam, ut Episcopi Argentinae, quibuscum consentiunt nonnulli alii (E/252 et 342). Imo est Eminentissimus, qui existimat, textum ut iacet ansam dare posse malis interpretationibus (E/270, 2 in *Animadv. dact.*, p. 40).

Nominatim formula adhibita: « sensu fidelium quoque subordinate concurrente » non apud omnes gratiam invenit. Est qui proponit, ut tota formula tollatur (E/223). Episcopi autem Scandinaviae et linguae Germanicae, quibuscum consentiunt duo alii, rogant ut vox *subordinate* expungatur (E/301 et 2230). Alius suggerit, ut loco verbi *subordinate* scribatur *concomitanter* (E/511). Tandem est qui dicit sensum fidelium concurrere quidem *subordinate*, attamen non passive, sed active (E/426).

Movetur tandem quaestio, an dici possit sensum fidelium una cum Scriptura, Traditione et Magisterio constituere fundamentum fidei (E/252).

b) Quod ad problema *de duobus fontibus* spectat, ponitur quaestio de nomine et de re. Quod ad *nomen* fontis attinet, est qui rogat ut sacrum depositum dicatur *fons*, Magisterium vero *regula fidei* (E/2207); alius vero qui exoptat ut Biblia et Traditio non dicantur *fontes*, sed *loci* (E/218); tertius, ut Scriptura et Traditio dicantur *fons* revelationis, Magisterium vero *medium* (E/252); quartus, ut omnino vox *duplex fontis* retineatur (E/2217).

Quod verum ad rem ipsam spectat, est Eminentissimus, qui notat notabilem progressum, quia nil dicitur de duobus fontibus (E/353), dum duo alii Patres asserunt duplicem fontem omitti sapienter (E/301). Sunt qui timent, ne verbis adhibitis in numeris 8 et 9, vocibus vid. *ambae* necnon *una vel altera parte depositi*, iterum duplex fons insinuetur (E/301, 2230), et alius ne Biblia et Traditio considerentur veluti elementa iuxtaposita (E/426). Ex altera parte est qui putat omissionem verborum *duplex fons* conspicue notari, et rogat num in posterum Verbum Dei scriptum vel traditum vocandum sit « una vel altera pars depositi » (E/268). Sunt quoque qui implicite vel explicite statuunt esse duos fontes, et Traditionem latius pati quam Bibliam. Patres Apuliae censent quasdam veritates, imprimis de Canone, non inveniri in ipsa S. Scriptura; alius notat in initio Ecclesiae non fuisse nisi traditionem, et canonem S. Scripturae nasci tantum ex Ecclesiae Magisterio (E/343, 2 in *Animadv. dact.*, p. 86); item alius Traditionem non esse tantum explicativam, sed etiam additivam (E/2237). Plura autem pro distinctione fontium, ad doctrinam quod spectat inadaequata, proferuntur argumen-

ta. Provocatur ad Sanctos Chrysostomum et Augustinum (E/2260); ad condemnationem theoriae unici fontis revelationis in Vaticano I, ad catechismos, praedicationem ordinariam, documenta pontificia (E/2217), ad Encycl. *Humani Generis* (E/229), ad Concilia Provincialia Colonien- se et Ultraiectense necnon ad ipsum Lutherum (E/2237). Tandem est Eminentissimus, qui notat novam redactionem profluere ex desiderio dialogi cum separatistis, attamen non satis considerare duodecim facta ca- tholica vid.:

- 1) Prologum Vaticani I de theoria unici fontis;
- 2) Encyclicas Pii XII *Humani Generis* et Ioh. XXIII *ad Petri*;
- 3) Claram separationem inter Verbum Dei scriptum et Verbum Dei traditum non tantum ratione cognitionis, sed etiam ratione commu- nicationis divinae;
- 4) Doctrinam Conciliorum trium provincialium approbatorum;
- 5) Catechismos;
- 6) Sensum catholicum fidelium;
- 7) Canonem in S. Scriptura non communicatum in ipsa Biblia;
- 8) Scandalum oriturum ex silentio Concilii;
- 9) Exemplum malum datum theologis spernentibus traditionem;
- 10) Libertatem et sinceritatem exegeseos catholicae;
- 11) Bibliam N. T. non existentem in primitiva Ecclesia;
- 12) Allocutionem Pauli Pp. VI die 8 Dec. 1963 (E/2182).

3. *Ad Caput olim II: De Sacra Scriptura.*

1) Est Pater qui desiderat, ut titulus mutetur in hunc sensum: « De S. Scripturae inspiratione, inerrantia et interpretatione, et ut addatur numerus proprius de inerrantia » (E/223).

2) Nonnulli Patres censent in numero 10, prout iacet, insinuari re- velationem in sola Scriptura contineri, quod admitti nequeat (E/214; 218 et 240).

3) Quod ad inspirationem spectat, Episcopi linguae germanicae et Scandinaviae putant de ea melius dictum fuisse in antiquo *Schemate*, vocem autem *instrumenti* esse aequivocam. Alius putat voces *instrumenti* et *causae principalis* nimis sapere scholam (E/2230); iterum alius vocem *instrumenti* esse hagiographis indignam (E/511). Episcopis Abruzzen- sibus displicet numerus de inspiratione, utpote nihil continens actuale. Alius Pater est, qui censet definitionem inspirationis non debere fieri nimis arcte: nondum enim nobis bene compertum esse, quid sit in- spiratio, cum Canticum Canticorum librique historici non differant ab eiusdem generis libris profanis (E/257).

4) Ad inerrantiam biblicam quod attinet, est Pater qui rogat, ut eius definitio sit satis lata, cum in S. Scriptura existimet evidenter adesse errores, ubi agitur de rebus profanis (E/257). Alius censet inerrantiam biblicam versari dumtaxat circa res fidei ac morum (E/252); tertius eam

attingere solas res ad salutem respicientes (E/343); quartus denique inerrantiam biblicam minus late patere quam inspirationem (E/469). Ex adversa parte Patres illi qui volunt censuram errorum, etiam exoptant, ut damnentur errores circa biblicam inerrantiam. Episcopi autem linguae germanicae et Scandinaviae statuunt quidem clare S. Scripturam esse immunem ab errore, attamen ob mentalitatem hodiernam et difficultates actuales breviter exponendum esse, quid praecise voce *erroris* intellegatur.

5) Circa n. 12 in quo sermo est de *interpretatione* S. Scripturae, Eminentissimus Pater censet in lineis 23-27 magis minusve asseri Ecclesiam ante exegesim hodiernam catholicam nondum novisse verum sensum S. Scripturae. Alius Episcopus putat hermeneuticam humanam statui ut fere unicum regulam interpretationis: siliari enim de traditione, magisterio et analogia fidei (E/223). Vide etiam E/218 ad cap. 5.

6) Ad *historicitatem* quod attinet: Patres Africae orientalis sentiunt quaestiones de interpretandis libris cum Novi tum Veteris Testamenti sufficienter solvi non posse, nisi saltem aliquo modo explicetur quid sit historicitas et quam complexa sit eius notio (E/326). Contra autem quinque Patres Galli censent, quod si mutata voce non dicatur de *fide* historica, sed potius de *valore* historico librorum sacrorum, omnes homines facile intellecturos esse, de qua re agatur et quid statuatur (E/350). Episcopi Scandinaviae et linguae germanicae, quibuscum consentiunt duo alii Patres (E/345 et 2166), proponunt, ut in re generum litterariorum adhibeatur textus Encyclicae *Divini afflantis*.

7) Ceterum in Observationibus ad hoc caput clare apparent duae tendentiae circa exegesim hodiernam catholicam. Ex una parte cum laude evehitur, quod in nova redactione sunt expuncta verba tendentiosa, quae sint obstaculum exegesi catholicae (E/316); desiderium exprimitur ut laudentur exegetae catholici (Epp. linguae germanicae et Scandinaviae et E/395); imo et rogatur, ut Ecclesia nolit sese gerere veluti ducem exegetarum (E/469). Ex altera parte desideratur, ut dicta de exegesi ita redigantur, ne contradicant professioni fidei Tridentinae (Epp. Mexicani); postulatur, ut clare circumscribantur termini, quos exegesis catholica transgredi nequeat (5 Patres Galli); notantur errores sparsi ab exegetis modernis (E/385); tandem timor exprimitur, ne tacente Concilio exegesis moderna adhuc audacior evadat (E/223).

4. Ad Caput olim III: De Vetere Testamento.

1) Est Pater, cui non placet titulus capitis: mutetur: « De libris Veteris Testamenti » (E/223).

2) Episcopi Burdigalenses putant non sufficienter indicari locum centralem Christi, de quo locuti sunt auctores V. T.: Scrutamini Scripturas etc.

3) Episcopi linguae germanicae et Scandinaviae observant ethicam

V. T. differre ab ethica N. T., et alius Pater vult, ut clare dicatur oeconomiam totam V. T. esse abrogatam et esse ministracionem mortis (E/223).

4) Episcopi Belgii proponunt, ut dicatur de triplici fine Veteris Testamenti: de monotheismo; de historia salutis populi electi; de praeparatione viae ad Christum.

5. *Ad Caput olim IV: De Novo Testamento.*

1) Etiam hic est qui desiderat, ut titulus mutetur et sic sonet: « De libris Novi Testamenti » (E/223).

2) Patres linguae germanicae, Scandinaviae et Indonesiae rogant, ne de origine apostolica Evangeliorum dicatur Ecclesiam hoc semper « tenere et tenuisse », sed id « credere et credidisse ».

3) Episcopis Indonesiae placebit, si omisso n. 20 « de ceteris libris N. T. », in initio capitis dicatur de libris N. T. in genere, et dein de Evangeliiis in specie.

4) Episcopi Burdigalenses rogant, ut potius dicatur de *narrationibus* Evangeliorum, quam de *historia*; alius autem Pater optat, ne dicatur « historia salutis », quia haec vox germanice apud Protestantes aequivocum sensum habet (E/285).

5) Dum in Schemate dicitur Evangelia *aliquando* resonare vocem praeconii, Episcopi linguae germanicae, Scandinaviae et Indonesiae statuunt Evangelia *semper* esse praeconium. Alius autem Pater notat vocem praeconii ansam dare posse interpretationibus minus rectis (E/1742); alius vero falsis et periculosus (E/2166).

6) Quod ad dubia attinet circa historicitatem Evangeliorum, aliquis Pater non videt, cur declarari expresse debeat id quod fideles per plura saecula crediderunt (E/342): alius autem iudicat, antequam dicatur de dubiis fidelium, accuratius indagari debere de natura illorum dubiorum (E/327). Alii autem volunt ut moneantur exegetae (E/306) et commendetur prudentia (E/286).

7) Nonnulli Patres rogant, ut clarius et fusius agatur contra errores circa historicitatem Evangeliorum (5 Patres Galli, E/343; E/390; E/1742; E/223).

6. *Ad Caput olim V: De S. Scripturae usu.*

Patres Galliae occid. proponunt textum reformatum capitum 21, 24 et 26 (E/300); alius autem ut loco numerorum 23 et 24 resumantur numeri 24 et 29 antiqui Schematis (E/218).

Est quoque qui putat in n. 21 nimis extolli S. Scripturam, ac si ipsa sola, exclusa traditione, esset sustentaculum Ecclesiae (E/223).

Quod ad *lectionem* S. Scripturae spectat, sunt Patres Indonesiae qui existiment verba hac de re adhibita non esse omnino sincera, ob diversam praxim olim in Ecclesia vigentem; alius putat melius omitti apolo-

giam inutilem (E/327). Est qui iudicet non satis commendari lectionem Bibliae (E/229), dum alii censent commendationem fieri debere ad mentem Benedicti XV et Pii XII (E/259). Episcopi Indonesiae, Galliae meridionalis et unus alterve (E/240) desiderant, ut expresse commendetur lectio privata. Alius rogat cur lectio Bibliae non nominatim commendetur seminaristis et religiosis (E/336; E/247). Tandem est qui quaerit, quid in praxi sit faciendum, ut fideles ad S. Bibliam accedant (E/268).

Ad *versiones* S. Scripturae quod attinet, est Pater qui rogat declarationem, num in vigore remaneat decretum Tridentinum (DENZ. 785) de authenticitate Vulgatae (E/488).

Relate ad exposita *de officio doctorum* catholicorum est Pater qui rogat, ut nominatim commendentur Patres Ecclesiae (E/511); cui assentiunt quinque Patres Galli et duo alii (E/218 et E/223), qui insuper commendatas volunt analogiam fidei et reverentiam Magisterii ecclesiastici. Dum Episcopi Germaniae (vide etiam E/395) desiderant verba laudativa pro exegetis catholicis, alii potius, ut iam antea dixi, monent ad prudentiam. Est quoque qui vult, ut S. Scriptura proponatur tanquam fundamentum instructionis catecheticae (E/313).

Ad n. 24, ubi sermo est de S. Theologia, nonnulli Patres cum Episcopis Neerlandiae notant ibidem verbum Dei dupliciter sumi: primum complexive de S. Scriptura et de Traditione, dein de S. Scriptura sola: et sic oriri confusionem: S. Theologiam non soli inniti Scripturae Sacrae, sed Scripturae simul et Traditioni (E/218; E/229; E/223).

Tandem in documento die 5 febr. 1964 accepto proponitur, ut caput quintum cum decreto pastoralis *de verbo Dei* a Commissione pro Unitate elaborato in unum caput redigatur, vel ut opus Commissionis pro Unitate veluti appendix Constitutioni *de Divina Revelatione* adiungatur (E/2255).

* * *

Superius exposita conscripta sunt, ut habeatur idea generalis variarum opinionum, ex quarum concussu speratur exortam esse maiorem expositionis claritatem.

Ad singulos autem numeros quod spectat de *Observationibus* a Patribus missis suis locis erit sermo.

Etenim ad revisionem Schematis *de Revelatione* die 7 martii erecta fuit Subcommisio Specialis cuius membra erant Exc.mi CHARUE, Praeses, et FLORIT, BARBADO (†), HEUSCHEN, PELLETIER, VAN DODEWAARD, BUTLER.

Ipsa Subcommisio statim se dividit in duas sectiones, quarum prior attenderet ad problemata de revelatione, de verbo scripto et tradito deque magisterio: altera ad quaestiones de vetere et novo Testamento necnon de S. Scripturae inspiratione, exegesi et lectione. Priori sectioni praefuit Exc.mus FLORIT, alteri Exc.mus CHARUE. In priore tamquam

periti adfuerunt Betti, Colombo, Congar, Moeller, Prignon, Rahner, Ramirez, Schauf, Smulders, Van den Eynde; in altera Castellino, Cerfaux, Gagnebet, Garofalo, Grillmeier, Kerrigan, Rigaux, Semmelroth, Turrado.

Sectio prima 5 sessiones habuit inter diem 20 et diem 23 apr. 1964; sectio altera 6 sessiones inter diem 20 et diem 24 eiusdem mensis et anni. Tota autem Subcommissio, unitis ambabus sectionibus, eodem tempore quarties convenit. Ipsa Commissio doctrinalis ultimam revisionem absolvit diebus 3-5 iunii in quattuor sessionibus.

Ad *Observationes* Patrum ponderandas et diudicandas quod spectat:

Pro Prooemio et Capite I retulit SMULDERS, pro II BETTI, pro III GRILLMEIER, pro IV KERRIGAN, pro V RIGAUX, pro VI GRILLMEIER.

INDEX

	PAG.
<i>Prooemium</i>	5
Caput I: <i>De ipsa Revelatione</i>	5
Caput II: <i>De divinae Revelationis transmissione</i>	15
Caput III: <i>De Sacrae Scripturae divina inspiratione et interpretatione</i> .	27
Caput IV: <i>De Vetere Testamento</i>	33
Caput V: <i>De Novo Testamento</i>	37
Caput VI: <i>De Sacra Scriptura in vita Ecclesiae</i>	43
Relatio generalis:	
I. <i>Considerationes generales</i>	51
II. <i>Observationes generaliores ad singulas partes</i>	54